MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80497-5

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

SICKER, EUGEN

TITLE:

QUAESTIONES PLAUTI-
NAE PRAECIPUE AD...

PLACE:

[BEROLINI]

DATE:

1906

Master Negative #

92-80497-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books        FUL/BIB   NYCG92-B10489          Acquisitions     NYCG-PT
Record 1 of 0 - Record added today
+
  ID:NYCG92-B10489              RTYP:a    ST:p   FRN:    MS:   EL:      AD:02-13-92
  CC:9668  BLT:am       DCF:?   CSC:?   MOD:    SNR:       ATC:        UD:02-13-92
  CP:ohu     L:lat      INT:?   GPC:?   BIO:?   FIC:?      CON:???
  PC:s       PD:1906/           REP:?   CP1:?   FS1:?      ILC:????   II:?
  MMD:       OR:    POL:      DM:     RR:         COL:       EML:       GEN:   BSE:
  040      NNC‡cNNC
  100 1    Sicker, Eugen.
  245 10   Quaestiones Plautinae praecipue ad originem duarum recensionum pertine
           ntes (capita I-IV)‡h[microform].‡bDissertatio inauguralis...‡cscripsit E
           ugenius Sicker.
  260      [Berolini],‡bTypis expressit Gustavus Schade (Otto Francke) typographu
           s Universitatis, Linienstr.‡c1906.
  300      72 p.
  LDG      ORIG
  QD       02-13-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3/12/92 INITIALS TM
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
Inches
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

QUAESTIONES PLAUTINAE

PRAECIPUE AD ORIGINEM DUARUM RECENSIONUM PERTINENTES

(CAPITA I—IV).

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

SCRIPSIT

EUGENIUS SICKER
BEROLINENSIS.

DIES PROMOTIONIS: DIE XXVI. M. SEPT. MDCCCCVI.

Rettulerunt ad ordinem de hac dissertatione

Iohannes Vahlen Dr. Prof. publ. ord.
Eduardus Norden Dr. Prof. publ. ord.

Permissu amplissimi philos. ord. prima pars dissertationis hoc loco formis exprimitur; quae reliqua sunt huius commentationis capita V—VIII., eadem postea alio loco publici iuris fient.

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE (OTTO FRANCKE)
TYPOGRAPHUS UNIVERSITATIS, LINIENSTR. 158.

IOHANNI VAHLENO

PRAECEPTORI CARISSIMO

SACRUM.

Inter Ambrosianum et Palatinos qui vocantur codices quae necessitudo intercedat probe ac certa ratione proposita inquirere quanti momenti esset ad tractandas omnes fere quae in fabulas Plautinas cadunt quaestiones criticas, prae vetustate studiorum Plautinorum viri docti sero agnoverunt. Nam etsi post Ritschelium multi varias duarum recensionum lectiones perpenderunt, qua ratione singulatim multa egregia in lucem prolata imprimisque scientiam metricam atque prosodiacam, ut mittam scientiam sermonis Plautini, haud mediocriter esse dilatatam negare nefas sit, et, quod mirum non est, alii Ambrosiano, Palatinis alii maiorem fidem tribui voluerunt, tamen ea ipsa quaestio, ex qua sola cura atque cogitatione aliquid erui potest, diu neglecta iacuit: neque enim quisquam anquisiverat, quid tandem iudicandum esset de iis locis, quibus A et P inter se congruentes eandem scripturam haud dubie falsam traditam exhibent, aut quae coniecturae ex eiusmodi consensu duarum recensionum capiendae essent. Hinc primus profectus est Fridericus Leo, qui vir doctissimus ratione ac disciplina usus in libri sui notissimi qui inscribitur „*Plautinische Forschungen*“ capite primo ita rem gessit, ut exorsus ab impari quadam in singulis fabulis crebritate hiatuum, quos quidem ambae recensiones nobis suppeditent, statueret magnisque argumentis comprobaret fabulas Plautinas, postquam ab initio suam quaeque traditionis viam iniisset, Hadriani demum temporibus a grammatico quodam in unum corpus esse coactas, qua ab editione ser-

vato eo textu, quem M. Valerius Probus vel sectator quidam huius grammatici celeberrimi constituisset, in usum doctorum hominum curata et ipsa corruptelis haud paucis deformata tamquam ab extremo fonte omnium qui quidem nobis praesto sint codicum Plautinorum origo repetenda esset, quamvis multas magnasque mutationes singulatim et librariorum licentia et grammaticorum libidine textui ingestas esse appareret, quo ex tempore (tertio vel quarto p. Chr. n. saeculo) factis cum aliis editionibus tum illis duabus, quarum alteram pro Ambrosianae, alteram pro Palatinae recensionis archetypo nos habere solemus, textus memoria in diversas partes discessisset. — Hanc rationem, quam non sine subtili doctrina atque argutiis Leo persecutus est, nuper impugnavit Lindsaius in libro eo, quem inscripsit ‚*The Ancient Editions of Plautus*' (Oxonii 1904). Is antiquitus duas fuisse textus conformationes autumavit, quarum altera repraesentaret textum principalem et vere Plautinum, altera textum quasi secundarium, sicut poeta iam pridem mortuo in usum scaenicum a dominis gregum reconcinnatus atque retractatus esset (*Revival* text): harum textus conformationum utriusque exemplaria nobis in promptu esse: nam ut P praeberet textum in usum scaenicum retractatum, sic A genuinum textum memoriae proditum habere, nisi quod ambae textus conformationes quin quodam modo inter se commiscerentur pro natura memoriae antiquissimae fieri non potuisset. Certe autem quibus locis AP inter se congruentes eandem exhibent scripturam, iis locis *ipsa verba Plauti* nobis suppetere nullo intermisso intervallo (‚*in an unbroken line of tradition*' ut ait ipse p. 37) usque ad tempora liberae Romanorum rei publicae referenda, nisi forte in utrumque memoriae fontem casu eandem corruptelam se insinuavisse appareret (‚*unless there is clear possibility of the two scribes having fallen independently into the same error*'). —

Hanc Lindsaii argumentationem vicissim Leo infirmare ac diluere studuit in recensione illius libri, quam publici iuris fecit in „*Göttingische gelehrte Anzeigen*" 1904, p. 358—374, cum subducta ratione quid consectarium foret ex iis, quae ille fidenter statuit, plane diserteque exposuit. Nam siquidem vera sunt quae Lindsaius asseveravit — neque satis dilucide explanavit — nullam ut ita dicam genuinam necessitudinem inter A et P intercedere neque omnino posse cogitari de fonte quodam antiquissimae aetatis scilicet ingenti diuturnitate temporis usque ad nostram memoriam non servato, quo ex fonte utriusque recensionis librorum origo repetenda sit, nimirum in corruptelis iisdem utrobique traditis aqua videtur haerere: consequens enim est, ut tales corruptelas aut in utriusque recensionis libros invasisse, quia librarii eodem modo seu erraverunt seu dedita opera consultoque peccaverunt, aut re vera corruptelas adeo non esse dicamus, ut sint ipsa verba Plauti. —

Videlicet a corruptelis iisdem utrobique traditis proficiscendum est ad disceptandam hanc controversiam: sed huic ipsi argumentationis parti, ex qua initium capere eum oportuit, Lindsaius parum momenti attribuit, immo quasi rem ita ut ipse iudicat sese habere inter omnes convenisset aut apertum esset, ipse quoque maxime iis locis dedit operam, quibus cum A et P inter se discrepent utra sit verior scriptura ambigitur et posthac fortasse ambigetur. Verum tamen infitiari multa praeclara ad scientiam nostram cum aliarum rerum tum maxime utriusque recensionis proprietatum, quae quidem ad externam illarum editionum formam pertineant, eum contulisse iniquissimum est.

Hic igitur est cardo totius controversiae, hac in re vertitur summa huiusce quaestionis, ut profecti a corruptelis iisdem in AP traditis inquiramus atque disceptemus,

utrum Leonis an Lindsaii ratiocinationes probabilitatem habeant maiorem. Quam ad rem transigendam quoniam hoc maxime refert, ut, quae corruptelae mero casu in utriusque recensionis libris separatim fieri potuerunt, easdem secernamus ab iis, quae cum graviores sint in hanc partem vix possunt accipi, perscrutandum mihi esse censui Ambrosiani codicis rescripti apographum a Studemundo confectum et a Seyfferto editum, ut quasi norma quadam iudicii instructus accedere possem ad tractandam hanc controversiam gravissimam, quam si mihi persuasissem prorsus esse diremptam, iterum evolvere animum non induxissem.

Sed ne quis exspectet aut omnibus aut certe plerisque ex locis, qui quidem in hanc quaestionem cadant, aliquid certi extricatum iri, licet mihi praefari tantum abesse ut semper aut plerumque verum coniectura adipisci possimus, ut saepenumero ne iis quidem locis, qui gravioribus corruptelis videntur laborare, certo res possit explorari. Neque enim satis est crebro strictim atque obiter significare corruptela delitescat necesse esse aut, si quam crucem in editionibus fixam invenimus, in ea acquiescere, sed res poscit, ut quam sedem et naturam corruptelae esse arbitremur de industria inquiramus, quae cum ita sint, persaepe in utramque partem potest disputari. Nempe igitur, si mente non occupata huic quaestioni dabis operam, ad Leonis rationem numquam confugies nisi ubi corruptela eadem quemadmodum et in A et in P separatim exsistere potuerit aut omnino non poteris interpretari aut alia interpretatio pro rerum natura nimis longe repetita esse et omnem finem modumque probabilitatis transire videbitur.

Quod superest, de corruptelis ipsis quae dicenda sunt in verba quam paucissima conferam. Agitur enim, ut quae minoris momenti sunt omittam, aut de singulis verbis aut de totis versibus, qui cum utrobique traditi

exstent utrum vere Plautini sint habendi an prorsus a Plauto abiudicandi aut, id quod saepius usu venit, utrum suum locum in codicibus obtineant an aliunde sumpti et in margine adscripti postea in textum invaserint vel fortasse alia quadam serie rerum illuc irrepserint suo iure dubitari potest.

Hiatuum quidem utrobique traditorum rationem omnino non habebo, quoniam neque multum hoc refert et de iis quid iudicandum sit viri doctissimi dissentiunt et, ut opinor, dissentient (conferas velim ea, quae Leo exposuit in libri quem supra dixi capitibus V. et VI. cum illis, quae Lindsaius statuit in libri sui capite VIII. paragraphi 6.)*). Iam vero proficisci ab hac parte rem maxime dubiam ambiguamque duco, a qua anxie cavendum sit: namque periculum est, ne hac ratione instituta et hac norma iudicii adhibita ad coniecturas falsissimas deducamur.

Atque etiam hoc mihi licet praefari: veritus enim, ne opus nimium intumesceret, satis habui in hac quidem commentatione tantummodo de corruptelis verborum disserere et id quidem eo magis, quod vel ex hac parte argumentationis illa controversia satis certo diiudicari potest. Neque tamen deero illi alteri muneri et quomodo iudicandum esse censeam de versibus insiticiis aut suppositiciis qui perhibentur prima quaque occasione si licet proponam.

Caput I.

Sed priusquam aggrediamur ad corruptelas ipsas, disputandum nobis est de iis locis, quibus scriptura codicum etsi a compluribus viris doctis in dubium est vocata, tamen ab omni suspicione videtur vacare.

---

*) de hiatu Plautino nuperrime dedita opera egit Eugenius Krawczynski in dissertatione Vratislaviensi 1906.

Stich. 620. — — — — *id mi ṣaṭeris est (lo)ci* A
— — — — *id mihi saterest loci* P

Non sine causa Seyffertus (*Berl. Phil. Woch.* XVI. 234) Palatinorum scripturam Plauto vindicasse mihi videtur collectis Ter. Ad. 295 (*e re nata*), Plaut. Bacch. 218 (*ut hanc rem natam intellego*), Truc. 962 (*ut rem natam video*), Capt. 569 (*ut rem video*). Neque enim potest dubitari, quin ‚*e re*' i. e. ‚*sicut res fert* vel *poscit*' (nach den Umständen) cum sententiarum contextu sane bene conveniat. Confer etiam ‚*ex tempore*', quod apud Ciceronem saepius idem sibi vult atque *sicut tempus poscit* velut de off. III 6, 32; de orat. II 60, 246. Quae cum ita sint, sola verborum collocatio sane contorta fortasse scrupulum nobis iniciat. Sed ne hanc quidem dubitationem mihi satis gravem videri confiteor, quoniam persaepe quemadmodum verba apud Plautum collocata sint habemus quod miremur (cf. Asin. 32). Ceterum re vera, id quod Leo pro explorato habet, conflatas esse duas lectiones (‚*satis est*' et ‚*sat erit*') velut Cist. 111, ubi ‚*est*' ipso verbo ‚*erit*' excipitur, hoc quidem loco parum mihi videtur esse perspicuum neque aut Ambrosiani aut Palatinorum scriptura satis illustrari.

Stich. 695. *tamen vivimus nos, tamen efficimus pro opibus nostra moenia* AP

‚*bibimus*' pro ‚*vivimus*' primus reposuit Ritschelius et adsciverunt recentioris aetatis editores quantum scio omnes, sc. litteras B et V in libris inter se commixtas esse rati, quae opinio quamquam ipsa per se haud dubie vera est multisque exemplis*) comprobatur, tamen in

*) B cessit in V:
Truc. 115: *abis* A — *aris* P.
- 179: *acerbo* A — *acervo* P.
- 312: *bibitis* A — *vivitis* P.
Stich. 694: *bibunt* P — *viunt* A.

hunc locum cadere mihi quidem non videtur. Quid enim est, cur offendamus in verbo ‚*vivimus*', quippe quod optime conveniat cum iis quae sequuntur et quae aequabilia esse vel anaphora ‚*tamen*' indicatur? Atque nos quoque, ut opinor, quid Plautus sibi voluerit, cum in tali rerum contextu dixerit ‚*tamen vivimus nos*', sane bene animo nobis informemus, siquidem similes quasdam nostrae linguae locutiones nobiscum consideremus. Quin etiam neminem in scriptura tradita offensurum fuisse credo, nisi metrica versus forma difficultates creasset. At tamen facile tolluntur hae difficultates, dum verbo ‚*vivimus*' adhibeatur mensura bisyllaba. Ac ne inaudita quidem est haec mensura, quoniam quae vis inest in littera *v*, eam non raro exstingui satis constat. Exempli causa, ut non dicam de huius litterae vi in ipso exitu verborum sublata (velut ‚*siris, sirit, sirint; noris, noras, nosti*' aliaque; cf. etiam Asin. 501. Cas. 543. Mil. 1038. Pers. 834. Trin. 169: *-avit* monosyll.), affero

Stich. 706: *bibimus* P — *viv(imus)* A.
Pseud. 117: *dabis* A — *davis* P.
Stich. 68: *offirmabit* P — *offirmavit* A.
- 146: *auscultabimus* P — *auscultavimus* A.
Truc. 198: *exibit* A — *exivit* P.
Epid. 658: *saevibit* — *saevivit* A.
Cas. 140: *versabere* B^2 — *versavere* AB^1E (item V).
- 1012: *memorabimus* A — *memoravimus* P.

V cessit in B:
Truc. 141: *veneris publicum* A — *bene res publicum* P.
Merc. 539: *periuravit* P — *periurabit* A.
Poen. 1018: *vendundas* A — *bendundas* P.
Pers. 322: *bovis* A — *vobis* P.
- 588: *velle* P — *belle* A (cf. Most. 806).
Pseud. 19: *iuvabo* P — *iubabo* A.
Stich. 502: *auspicavi* P — *auspicabi* A.
- 533: *lava* P — *laba* A.
Epid. 221: *veneficam* P — *beneficam* A.
Poen. 1016: *arrinam* — *arbinam* AP.

cum notissima illa *‚ditiae, dis, ditior, ditissimus; iunior* (pro *‚iuvenior‘*); *sis, sultis; nolo, malo; neu, seu; auceps, augur, auspex‘* et cetera tum maxime haec:

navis] monosyll. Men. 344. Bacch. 797, quorum versuum scriptura a pluribus admodum iniuria in dubium est vocata: immo vero inter se sustentant hi duo versus; cf. *‚nauta‘*, cuius verbi forma genuina *‚navita‘* occurrit Men. 226.

cavisse] bisyll. Bacch. 1017.

clavator] bisyll. Rud. 804.

obliviscendi] quadrisyll. Mil. 1359.

divinam] Epid. 316 (nam *‚dinam‘* videtur legendum esse, seu cum B^1 *‚dinam‘* seu cum ceteris *‚divinam‘* scribitur, quoniam ante *‚dum‘* reponatur vel *‚ut‘* (cf. 500) vel *‚quae‘* (cf. 418, 466) prorsus necesse est.

Maxime autem attendendus est Ter. Andr. v. 51. sq.:

‚nam is postquam excessit ex ephebis Sosia et liberius vivendi fuit potestas, nam antea‘ sqq.

ubi orationis formam, cum sententiae praecipue satis faciat, minime temptandam esse Vahlenus causis rationibusque demonstravit (*„Über die Versschlüsse in den Komödien des Terentius“*, p. 26 sqq). Iam quod attinet ad formam metricam, posse cum Lachmanno verbum *‚liberius‘* pro trisyllabo haberi aut alio modo nescioquo temptari utique nego, immo nullam aliam rationem ineundam esse statuo nisi eam, ut verbo *‚vivendi‘* adhibeatur mensura bisyllaba, cui mensurae suffragati sunt iam Schopenus (*de Ter. et Don.*, p. 6) et Klotzius (*Altröm. Metrik*, p. 286). Huic Andriae versui Klotzius adiunxit Poenuli v. 1187, ubi *‚vivimus‘* eodem modo tractandum esse affirmat. Idem hoc cadit in Trin. v. 295 (*‚vivito‘* bisyll.: nam mensura est anapaestica). Atque etiam in Bacch. v. 191, sicut in libris traditus est:

quia, si illa inventast quam ille amat, vivit recte et valet

editores offensuros aliumque alia verba e textu eiecturos non fuisse existimo, nisi eadem difficultas metrica apparuisset. Nunc autem versum censeo integrum esse relinquendum et sic legendum:

quia, si illa invéntast quam ille amat vívit recte ét valét.

Sed si quis contra hoc dicat *‚vivit‘* supervacaneum atque adeo ineptum esse, cum iam v. 188 Chrysalus Pistoclero praedicaverit erum suum vivere, eum moneo, ut probe secum contempletur et haec ipsa verba et ea quae sequuntur: nam dicitur non *‚vivit‘*, sed *‚vivit recte‘*, quod non idem est. Accedit quod verbis *‚vivit recte et valet‘* optime respondent verba *‚minus valet moribundusque est‘*, qua verborum collocatione oritur chiasmus quidam ut opinor haud vituperandus. *‚recte‘* vero, quod una cum particula *‚et‘* seclusit Ritschelius, deesse neutiquam posse quis est qui non intellegat? cf. cum alia tum Amph. 581 sqq.:

equidem valeo et salvos sum recte, Amphitruo. — At te ego faciam hodie . . . . . ut minus valeas et miser sis.

Ecce eadem concinnitas orationis sc. excepto chiasmo. Tantae molis erat unius versus Plautini scripturam traditam ab iniustis quae videntur suspicionibus vindicare, id quod mihi contigisse spero. Quae cum ita sint, non dubitabimus, ut opinor, etiam verbo *‚iuventus‘* mensuram bisyllabam adhibere Most. 30. Poen. 1183. Pseud. 202, etsi huius vocis naturam non eandem esse apparet. Idem hoc dicendum est de forma *‚favitor‘* Amph. 67: 78; 79. Eadem hac ratione haud scio an defendi possit codicum scriptura Pseud. 802:

hominum avaritia égo sum fáctus improbiór coquós.

Neque enim aut *‚hominum‘*, quam vocem eiecit Lindsaius, deesse potest propter *‚meopte ingenio‘*, aut Leonis coniectura *‚hominum vitio‘*, qua aliquanto exilior fiat

orationis forma, nobis probatur aut apparet, cur verba quaedam quodam modo transponenda sint. Sed haec hactenus.

Mil. 1419. *di tibi bene faciant semper, quom advocatus mihi benest* A
di tibi bene faciant semper, quom advocatus bene mihi es P
(adest B*).*

Leo (Pl. F. p. 9.) ab Ambrosiani scriptura profectus statuit scribendum esse ‚*mihi venis*' et imprimis exploratam esse rem existimat, quoniam illud ‚*bene*' posteriore loco positum ab omni Latinitate abhorreat (sprachwidrig ut ait ipse) praetereaque poeta ‚*advocatus tibi eo, venio, adsum, adsto*' dicere potuerit, ‚*advocatus tibi sum*' dicere non potuerit. Sed quod hoc dici posse negat, videtur errare: neque enim meminit Blepharonis verba (Amph. 1038):

quid opust me advocato, qui utri sim advocatus nescio?

cf. etiam Rud. 890. Asin. 57:

tun es adiutor nunc amanti filio?

Pers. 842: *ego sum tibi patronus plane.*

Iam, postquam illud ‚*advocatus mihi es*' ab omni suspicione vindicavimus, quaerendum est nobis, conveniatne cum hac orationis forma adverbium ‚*bene*'. Atque etiam hoc fieri posse assevero, sive eam vim quae inest in ‚*opportune*' *), (cf. Mil. 898: ‚*bene opportuneque obviam es*', quem locum attulit Seyffertus) vel in ‚*optume*' (cf. Bacch. 667: ‚*optume eccum obviam mihi est*' aliaque), sive illam vim, quam habet ‚*benigne*' (cf. Merc. 949. Truc. 128: *benigne dicis, bene vocas.* Men. 387: *bene vocas*) ei tribuemus **). Hinc etiam, ut opinor, intelle-

*) Idem hoc sibi vult ‚*bene*' in Catulli c. 40, 3, qui versus comparatione dignus mihi videtur.

**) Convenire autem in talem verborum contextum adverbium

gitur, quam ob rem ‚*bonu's*', quod reponi voluit Ribbeckius, adsciscendum non esse videatur, praeterquam quod illud ‚*bene*' in eodem versu alibi aliam in partem accipiendum efficacissimum minimeque a sermone Plautino alienum est. Denique verbo veniendi apud Plautum semper propriam vim attribuendam esse ideoque obstare, quominus hoc loco ‚*venis*' cum Leone in textum recipiamus, Seyffertus recte monuisse mihi videtur (*Phil. Woch.* XVI. 234). Proinde perstemus in scriptura codicum, quamvis certam Leo coniecturam suam esse ducat. Ceterum diversa illa verborum collocatio, quae in AP occurrit, mihi videtur repetenda esse inde, quod in editione vetustissima aut *mihi* aut *bene* perperam omissum posteaque suprascriptum fuit, quo factum est, ut idem verbum in recensione altera alterum locum nancisceretur. Sed perdifficile est dictu, utra tandem lectio sit adsciscenda. Ego quidem Palatinorum lectionem anteponam, ut quae praebeat chiasmum a sermone Plautino haud alienum *(tibi bene . . . . . bene mihi).*

Cas. 157 sqq. *fáciam uti proínde ut ést dignus vitám colát,*
Acherúntis pábulúm,
flágiti pérsequén- (flagitii AP*),*
tém stabulúm nequitiae *)

‚*flagiti persequentem*' mihi videtur esse retinendum: nam accusativus positus est, quasi poeta ex iis quae praecedunt plane repetierit ‚*illum*', quae orationis forma (sc. *facere aliquem, ut* sqq.) apud Plautum latissime patet (velut Amph. 54 sq. 297 sq. 583 sq. Asin. 28. Aulul. 443; 797. Capt. 609 sq. Cas. 746 sq. Cist. 645.

per se ipsum ego quidem pro explorato habeo. Nempe, nisi ita esset, Plauto non licuisset dicere cum alia tum haec (Cas. 615):

nunc tu mihi amicus es in germanum modum.

*) Sic posse versus discribi cum Lindsaio consentio: *flagitii* autem Plauto vix esse vindicandum Vahlenus mihi probavit.

Curc. 691. Mil. 148 sq. 1257; 1322. Pers. 382; 414 743 sq. Pseud. 112 sq. 166; 214; 1099 sq. Rud. 244. Truc. 816; atque etiam cum duplici accusativo verbum ‚*facere*' coniunctum exstat ita, ut ex enuntiato finali praedicatum tamquam anticipatum sit velut Pers. 760. Poen. 454. Epid. 606 — recte P —). Est autem ‚*flagiti persequentem*' perinde ut ‚*Acheruntis pabulum*' et ‚*stabulum nequitiae*' appositionis loco positum, non cum prolepsi sicut iis tribus locis, quos ultimos attuli, praedicatum intellegendum, quod si ita esset, poetam, ne verborum contextus in pravam partem accipi posset, sic puto locuturum fuisse:

*flagiti persequens**).

Sed non hoc refert, ut senex ‚*flagiti persequens*' fiat, immo vero est ‚*flagiti persequens*', est ‚*stabulum nequitiae*', scilicet quo ex tempore Casinam amare coepit. Iam vero quod participium ‚*persequentem*' cum genetivo coniunctum est, ne hoc quidem suspectum mihi videtur, quoniam agitur non de facinore flagitioso, quod Cleostratae maritus semel in se admiserit, sed de arte vel vitio senis insigni atque perpetuo, quod si ita est, participium fere cum genetivo coniungitur; cf. illa notissima:

diligens veritatis; diligentissimus omnis officii; amantissimus patriae, rei publicae; neglegens legis, officii; patiens laborum; appetens gloriae; cupiens alicuius rei (saepius apud Plautum velut Amph. 132. Mil. 997).

Atque etiam hoc moneo, neque cum Schoellio ‚*viam*' neque cum Acidalio ‚*praesepe*' esse addendum; cf. enim illud Catulli (c. 61, 103):

probra turpia persequens

unde tamen non sequitur, ut hoc loco Casinae genetivus *flagiti* mutandus sit.

*) Ipsum hoc reponendum esse Pylades coniecit, iniuria.

Cas. 821. *tua vox superet tuumque imperium: vir te vestiat, tu virum despolies* A

superet tuumque imperium: vir(tu)te vestiat, tu virum despolies P (post lacunam).

Ambrosiani versus ita comparatus est, ut salva sententia ne uno quidem verbo careri possit: nam inepte aut ‚*-que*' aut ‚*vir*' deleri voluit Muellerus, ineptius vero ‚*tu*' Lindsaius metri causa, ut ait ipse in adnotatione. Hac ex re satis intellegi potest, quo usque evadat ratio illorum, qui omnia non ad sententiam, sed ad metrum referenda esse censent. Immo vero rerum ac sententiarum contextum magis spectandum esse quam metrum hoc loco non mitto quam vehementissime possum monere. Neque adeo opus est quibusdam verbis mutatis et tamquam ascia edolatis, quam viam ingressi alii partim improbabilia partim mirabilia excogitarunt. Immo sicut traditus est versus utique retinendus esset, etiamsi metrum haud mediocres difficultates crearet; nunc autem nullam omnino difficultatem creat, nam statuendus est tetrameter anapaesticus hypercatalectus, quales versus metrum excedentes a Plauto non sunt abiudicandi: cf. Pseud. 602. [Amph. 1062.] Rud. 928., verisimiliter etiam Pseud. 178. (Mil. 1066. consulto praetermittam, quoniam res dubia est) et Cas. 217., quem versum a multis frustra temptatum censeo metiendum esse sic:

omnibus rebús ego amórem crédo et nitóribus nitidis ántevenire

(sc. ‚*ego*' cum syllaba altera hiatu ante vocalem correpta).

Cas. 975. *quid fecisti scipionem aut quod habuisti pallium* AP.

‚*scipionem*' tametsi ab omnibus, quin etiam a Lindsaio reiectum est et repositum ‚*scipione*', tamen recte, ut opinor, scriptum est. Etenim sententia, praesertim si quae

sequuntur attento animo spectamus, videtur supplenda esse sic:

quid fecisti (eo) quem habuisti scipionem aut quod habuisti pallium?

qua in forma orationis integra ac solida neminem, qui quidem Plautinum morem loquendi satis cognitum habeat, tantillum existimo offensurum esse: nam ‚*scipionem*' et ‚*pallium*' accusativi positi sunt quasi assimilatione quadam casuum, qua assimilatione substantivum (vel pronomen) accommodatur ad pronomen relativum*) atque adeo, sicut persaepe fit, in ipsam sententiam relativam inducitur. Is usus loquendi quam late pateat intellegitur ex his exemplis, quae contuli et quorum simplicissima maximeque perspicua sunt ea, quibus substantivum ad relativum pronomen accommodatum demonstrativo quodam excipitur et tamquam restituitur velut Mil. 73 sq.:

> ‚*ut in tabellis quos consignavi hic heri*
> *latrones, ibus dinumerem stipendium*'

quod exemplum nihil distat ab usu Ciceroniano. Addi velim exempla haec, quae tamen omnia ita sunt comparata, ut substantivum vel pronomen in sententiam relativam non inductum, sed ante ipsum pronomen relativum positum sit: Asin. 436 sq. Aulul. 574. Bacch. 420. Capt. 110 sqq. Men. 57 sqq. Mil. 140 sqq. Most. 250. Poen. 644; 769 sq. Pseud. 718 sq. Rud. 1065 sq. 1291 sq. Trin. 137. Truc. 745.

Iam affero exempla ea, quae, cum substantivum vel pronomen casus assimilatione ad relativum pronomen accommodatum nullo demonstrativo excipiatur, aliquanto difficiliora sunt, atque ea ad gradum difficultatis digesta:

*) Atque etiam contraria ratio in lingua Latina latius patet, qua de re nuper copiose disseruit Ricardus Foerster in annal. philol. suppl. 27, 170—194.

Merc. 230: *ei ne noceret quam domi ante habui capram* (pro ‚*capra*')

Merc. 702: *em quoi te et tua quae tu habeas commendes viro* (pro ‚*virum*')

Merc. 747: *sed eccum qui nos conduxit senex* (pro ‚*senem*')

Epid. 458 sq: *quem dudum Epidicus mihi praedicavit militem* (pro ‚*miles*')

Bacch. 972: *ut sit mulsum qui triumphent milites* (pro ‚*militibus*')

Rud. 52: *et aliarum itidem quae eius erant mulierculae* (pro ‚*mulierculārum*')

scilicet substantivum in ipsam sententiam relativam inductum est. Graeca exempla cum alia addiderim tum haec:

Eur. Herc. fur. 1163 sq.:

> ἥκω σὺν ἄλλοις, οἳ παρ' Ἀσωποῦ ῥοὰς
> μένουσιν ἔνοπλοι γῆς Ἀθηναίων κόροι.

Eur. Electr. 855 sqq.:

> ἔρχεται δὲ σοὶ
> κάρα ἐπιδείξων, οὐχὶ Γοργόνος φέρων,
> ἀλλ' ὃν σινγεῖς Αἴγισθον.

Eur. Iphig. Taur. 64:

> σὺν προσπόλοισιν, ἃς ἔδωχ' ἡμῖν ἄναξ
> Ἑλληνίδας γυναῖκας.

ibidem 1294: — — — ὃν δ' ἰδεῖν θέλεις
ἄναχτα χώρας, φροῦδος ἐκ ναοῦ συθείς.

Audacissima vero exempla sunt haec:

Curc. 419: *sed istum quem quaeris ego sum* (pro ‚*iste*').

Trin. 985: *quia illum quem ementitus es ego sum ipsus Charmides* (pro ‚*ille*')

Epid. 448 sq.: *sed istum quem quaeris Periphanem Platenium (?) ego sum* (pro ‚*iste Periphanes Platenius*')

Ter. Eun. 653: *eunuchum quem dedisti nobis quas turbas dedit* (pro ‚*eunuchus*')

Amph. 1009: *Naucratem quem convenire volui in navi non erat* (pro ‚*Naucrates*')

Rud. 1240 sq.: *ille qui consulte, docte atque astute cavet, diutine uti bene licet partum bene* (pro ‚*illi*‘)

Bacch. 935 sq.: *nam ego has tabellas obsignatas, consignatas quas fero, non sunt tabellae, sed equos quem misere Achivi ligneum* (pro ‚*hae tabellae*‘ et ‚*ligneus*‘)

Men. 311 sqq.: *nummum illum quem mihi dudum pollicitu's dare*

— — — — — — — — — — —

— — — — — — — — — —

iubeas, si sapias, porculum adferri tibi (pro ‚*nummo illo*‘)

Aulul. 595: *quasi pueri qui nare discunt scirpea induitur ratis* (pro ‚*pueris*‘)

Mil. 597 sq.: *ne uspiam insidiae sient concilium quod habere volumus* (pro ‚*concilio*‘)

Men. 1052: *erupui homines qui ferebant te sublimen quattuor* (pro ‚*hominibus*‘; pro ‚*qui*‘ repositum est ‚*quom*‘ a Ritschelio et Leone, iniuria: neque enim audacius dictum est hoc quam cetera et sane tolerari posse iam intelliges).

Quae cum ita sint, nihil iam, ut opinor, obloquerentur viri docti, si in illo Casinae versu orationis forma sic esset concinnata:

quid fecisti scipionem quem habuisti aut pallium?

Nam quin senex antea scipionem habuerit perinde ac pallium, non est dubium; immo in adulterio et pallium et scipionem perdidit (cf. v. 1009). Nunc autem, quoniam enuntiatum relativum non ad prius, sed ad posterius membrum est accommodatum atque adeo ante hoc positum, haerent omnes, quasi talia prorsus inaudita sint: at mihi quidem non modo non inaudita, sed etiam admodum tolerabilia videntur. —

Men. 212. *madida quae mihi adposita in mensam miluinam suggerant* AP

‚*in mensa*‘ reponi voluit Lambinus eumque secutus est Leo, iniuria. Immo nihil est quod offendamus in accusativo; cf. enim Merc. 780: — — — — ‚*agite apponite opsonium istuc ante pedes illi seni*‘ ubi ‚*istuc*‘ recte scriptum habent AP (non ‚*istic*‘); pendet autem ‚*istuc*‘ una cum ‚*ante pedes*‘ e verbo apponendi, non est coniungendum cum ‚*opsonium*‘, quod si fiat, sententia in deterius vertatur. Comparandus est etiam Aulul. v. 706:

‚*multoque prius me conlocavi in arborem*‘

ubi ‚*arborem*‘ ne Leo quidem temptavit. (cf. etiam Amph. 304. Merc. 552.) —

Men. 1156. — — — *fore quidem die septimi* AP (spatium ante ‚*fore*‘ reliquit A, omisit P)*).

Aliter distinxit versum Bergkius, cum ‚*fore*‘ ad ea quae praecedunt adiunxit et pro ‚*quidem*‘ reposuit ‚*equidem*‘, quam mutationem sane facilem adsciverunt Schoellius (ed. mai.) et Leo. Verum sitne necessaria maxime est dubium: nam verba ‚*vis conclamari auctionem*‘ ipsa per se sententiae utique satis faciunt neque ullo indigent additamento (cf. ‚*auctionem praedicare*‘ Stich. 195; 244.). Accedit quod illud ‚*quidem*‘ prorsus suo loco positum est neque ullo modo videtur esse temptandum: nam quae dicta sunt, ea et affirmat et certis terminis circumscribit, quod ita esse apparet cum aliis locis tum Casinae v. 300; 389; 390. Poen. 869. Stich. 259., quos locos examinandos legentibus permitto. Id autem ipsum imprimis convenit in hunc locum. Atque etiam hoc moneo, ‚*quidem*‘ ubi hanc vim habet, semper aut plerumque secundo loco (numquam primo) esse positum, unde

*) Recte Ambrosiani scripturam retinuit Lindsaius.

intellegitur recte ante ‚*fore*' in A spatium relictum esse. Denique vertendum est sic:

Willst du also, daß nunmehr die Auktion ausgerufen werde? — Ja, daß sie stattfinden wird am siebenten Tage.

Similiter comparatus est et Trin. v. 1036. et Mil. v. 1401., cuius sententia prorsus absoluta est:

immo etiam prius verberetur fustibus. — multum quidem.

Nein, vorher soll er noch einmal mit Knütteln geprügelt werden! — Ja, gehörig!

‚*multum*' autem (sc. ‚*verberetur*') dictum est sicut Pseud. 556., ubi quod scriptum habent ACD²:

‚*namque edepol, si non dabis,*
clamore magno et multum flagitabere'

utique retinendum est. Nam hic quoque ‚*multum*' (i. e. πολύ: entschieden, nachdrücklich, gehörig) suum locum obtinet neque ullo modo videtur esse temptandum (falso reposuerunt ‚*multo*' Scaliger Ritschelius Leo); cf.

‚*multum* (vel ‚*plurimum*') *amare*' Men. 524. Most. 717.
‚*multum valere*' (vel ‚*salvere*') Stich. 496. Rud. 416.
‚*multum et diu cogitare*' Most. 85.
‚*multum ridere aliquem*' Stich. 243.
‚*multum obiurigare aliquem*' Trin. 68.

Atque etiam illud ‚*et*' prorsus suum locum habet proinde ut Trin. 380. ‚*et*' retinendum est, quam particulam utrobique traditam secludere nihil aliud est nisi suum ipsius sensum poetae sane invito obtrudere. Sed ut redeat illuc unde deflexit oratio, agatur de versu

Most. 794. ‚*Age duc me. — Num moror? — Subsequor te*'.

De metrica huius versus forma, e qua sola pendent omnia, confer ea quae exposui ad Capt. v. 925 sqq. Nam quod mancum esse versum Leo dixit (p. 11), iure dubitari potest, num recte dixerit.

Trin. 413. *Quid, quod égo defrúdavi? — Em istaec ratio maxumast.* AP

Versum sicut in libris traditum legimus (‚*quid quod égo*') retinendum esse censeo. Nam in correpta prima versus syllaba ipsa positione longa non est quod offendamus; cf.

dumquidem hércle] Trin. 58.
dumquidem hóc] Bacch. 226.
meusquidem hércle] Trin. 559.
ecquis huic] Truc. 255.
perque meós] Poen. 419.
utquidem ípse] Poen. 664.
immo ut ípse] Poen. 669.
immo véro] Ter. Phorm. 936.
immo quód] Ter. Hec. 437.
redde cántionem] Stich. 768.

Bothio vero, qui vir doctus pronomen ‚*ego*' deleri voluit, adeo non assentior, ut non modo necessarium esse, quoniam Stasimus se ipsum ero suo opponit, verum etiam ictum ei tribuendum esse asseverem. Mirum est etiam, quam longe a vero aberraverit Lindsaius, cum Fritzschium secutus, qui omnino in Plauto emendando nimis infeliciter rem gessisse mihi videtur, illud ‚*quid*' deleverit. Ecce eandem cantilenam: tamquam ascia versus edolantur, ut metrum redigatur in formam simpliciorem neglecta sane sententia!

Quoniam vidimus in principio versuum iambicorum syllabas positione longas corripi posse ita, ut creticus cedat in anapaestum, quaeritur idemne hoc pertineat ad syllabas natura longas. Atque proficiscendum esse mihi videtur a Persae v. 353. in AP sic tradito:

Pers. 353. *non ego inimicitias omnis pluris existumo.*

Itaque pro ‚*non*' praecipue metricis de causis reponendum esse ‚*neque*' censuit Sonnenscheinius, quam emendationem esse certissimam dicit Leo (Pl. F. p. 251.). At ex ipsa

negationis forma in hoc verborum contextu et hoc loco versus posita mihi quidem videtur apparere eam minime esse temptandam. Nam de interpretamento (‚*non*' pro ‚*neque*' forma negationis prisca) cogitandum est eo minus, quod, si verum et genuinum esset illud *neque*, per sententiarum conexum — qui quidem cum iis quae praecedunt statui potuit — licuisset verbo *neque* vim usitatissimam tribuere, ut vix intellegas, cur tandem additum sit interpretamentum. Praeterea *non* efficacius dictum mihi videri confiteor. Accedit quod exstant exempla ea, quibus ‚*non*' i. e. syllaba natura longa in principio versuum correpta sustentetur atque confirmetur; cf.

Pers. 129: ‚*non ad istuc, quod tu insimulas*'

ubi syllabae tertiae ut ictus tribuatur sententia poscit.

Most. 624: ‚*non ego istuc curo*' sqq.

quem in versum, etsi mancus est, idem hoc cadere ex insequenti versu (‚*id*' bis positum) satis apparet.

Pro certo exemplo habeam etiam

Merc. 265: *verum ad hóc exemplum* sqq.

(cf. cum alia tum Pers. 335. Rud. 488. 603.)

De Poen. v. 1042: *verum ego hic hospitium habeo* sqq. et v. 1349. Pseud. 25. 30. Rud. 827. 1300.

Trin. 133: ‚*non ego illi argentum redderem*'

Rud. 1354. Aulul. 283. Bacch. 888. disputari posse in utramque partem concedo.

Ab omni vero dubitatione vacant

Poen. 1237: *ite si itis*

\- 1238: *nosne tibi*

quibus locis monosyllaba statuere nihil aliud est nisi captioso quodam ratiocinandi genere usum ipsam difficultatem declinare. Qua argumentatione coniecturam Sonnenscheinii satis redarguisse et versum ab iniustis suspicionibus vindicasse mihi videor. De exitu versus confer ea quae exposuit Leo (Pl. F. p. 247 sqq.). —

Trin. 492. *satillum animae qui quom extemplo emisimus* A
salillum — — — — amisimus P

‚*satillum*' tametsi, quantum nos quidem scimus, verbi ipsius conformatio exemplis prorsus aequabilibus comprobari non potest (‚*vixillum*' Trin. 888.?) — vereor enim, ne non sufficiant ad eam sustentandam talia, qualia sunt ‚*tantillum*, *pauxillum*, *aliquantillum*' sc. ab adiectivis, non ab adverbiis derivata — tamen dubito, sitne re vera codicum scriptura ut absurda reicienda. ‚*salillum*' illud quidem Palatinorum, quod anteposuit Lindsaius, in hoc rerum tenore plane ineptum est; sed merum librariorum mendum est, quo confuderunt litteras L et T simillimas. ‚*satillum*' vero cum sententia mihi videtur sane bene convenire, quoniam illis quae praecedunt deorum divitiis opulentiisque ‚*satillum animae*' (so gerade Hauch genug, kaum Hauch genug, das bißchen Hauch), quod quidem hominibus innatum atque insitum sit, haud inepte opponi poterat. In ea vero scriptura, quam codices praebent, ‚*animae*', nihil est cur haereamus, immo sine ulla dubitatione nobis licet reponere ‚*animai*', cuius genetivi prisci in ‚*-ai*' desinentis, ut inscriptionum fide comprobatus est, sic in libris Plautinis nulla vestigia insignita reperimus nisi quod in Poen. prol. v. 51. BC scripturam ‚*comoediai*' exhibent insuper falsa verborum separatione infuscatam. Recte autem distinxisse mihi videtur Leo, cum interpunxerit post solum verbum ‚*homunculi*' et ‚*satillum animai*' sc. ut obiectum cum iis quae sequuntur coniunxerit, unde intellegitur non esse reponendum ‚*quam*' pro ‚*qui*' quae forma posita est illa ratione, quae vocatur Satzverschränkung; cf. cum alia tum Truc. 234:

nisi qui modo quom dederit, dare iam lubeat denuo.

de quo versu postea agendum est. —

Truc. 232. *dum habeat, tum amet: ubi nihil habeat, alium quaestum coepiat* AP.

Pro ‚*tum*' reponendum esse ‚*dum*' censuit Lambinus*) sine dubio recordatus cum alia tum illa Catulli (c. 62, 45. 56.), quae tamen mutatio sitne necessaria, ut opinor, licet dubitare. Nam praeterquam quod haec tanta concinnitas orationis hoc loco flagitari mihi non videtur (cf. enim v. 217: ‚*dum fuit, dedit*'; videlicet idem est sententiarum contextus, vel. v. 190: ‚*cum amamus, tum perimus*') atque adeo fortasse mireris ipsum illud ‚*tum*' in libris esse servatum ac non, id quod nimis facile potuit fieri, a librariis ipsis mutatum in ‚*dum*' — immo mihi quidem ipso verborum tenore videtur indicari ‚*tum*' verum et genuinum esse — haud scio an illa verba paulo aliter accipienda sint aut possint certe accipi sc. ita, ut protasis condicionalis sit (sicut etiam ‚*ubi*' saepe apud Plautum vim condicionalem habet) eademque adverbio ‚*tum*' efficaciter excipiatur, quo de usu vere Plautino, ne eadem iterum exponam, legentes delego ad ea, quae disserui ad Stichi v. 593. Vertendum autem mihi videtur sic:

Wofern er hat, dann mag er lieben; wenn er nichts hat, mag er einen anderen Erwerb sich suchen!

Ceterum Pseud. v. 1127., qui versus, si strictim atque obiter rem percurramus, haud dissimilis esse videatur, esse corruptum inter omnes convenit excepto Lindsaio. Cf. quae ad locum explicavi.

Merc. 761. *te odisse aeque anguis. — Egone istuc dixi tibi?* AB (*aeque atque* CD).

Recte hunc versum restituisse mihi videtur Seyffertus, cum scripserit sic:

te odisse atque anguis. — Egone istuc dixi tibi?

*) Lambino adstipulatus est Hauptius opusc. II, 473.

quam formam versus Leoni non esse probatam haud mediocriter admiror*). Nam ‚*atque*', si quidem in tali rerum contextu positum est, in prisco sermone idem sibi velle quod ‚*aeque atque*', hoc quidem inter plerosque convenit aut aliquando certe conveniet; cf. enim Bacch. 549:

sicut est hic, quem esse amicum ratus sum atque
ipsus sum mihi.

Stich. v. 271: *satin ut facete atque ex pictura astitit* ego minus fidenter afferam, quoniam hiatum illum, qui intercedit inter *facete* et *atque*, inserto verbo *aeque* facillime removeri posse apertum est.

Eodem modo accipiendum est aut interpretandum ‚*atque*' post comparativum usurpatum velut Cas. 861. Merc. 897. (sc. cum abundantia quadam positum pro ‚*quam*' sicut etiam ‚*aeque*' vel ‚*adaeque*' identidem cum comparativo abundanter coniunctum exstat velut Capt. 700; 828. Merc. 335.). Corruptelae autem, si quae est, natura posita est in ipsa scriptione maiuscula: etenim littera E, ex qua pendet summa rerum, cum in A incerta sit, aut ipsa T est aut certe a librario facillime cum littera T confundi potuit. Atque idem hoc fieri potuisse in recensione P quis est qui infitietur? —

Poen. 922. ‚*ero uni*' scripturam codicum corruptam esse ratus Leo quod in Pl. F. p. 240. ‚*ero uni*' inquit hat ja jetzt wieder Liebhaber, me ipsum quoque in his numerari velle profiteor: nam primum quidem mensura, in qua Leo maxime offendit, praesertim in primo versuum pede adeo non inaudita est, ut vel ex hac una scaena satis multa exempla colligere possis quibus confirmetur: exempli causa pono v. 890. (‚*séd hoc tu*'; item

*) Ipsius vero Leonis coniectura, quam in adnotatione posuit, mihi videtur supervacanea ideoque reicienda.

v. 1297. ‚*quid hoc est*‘), quo in versu syllaba non positione modo, sed etiam natura longa (*hoc*) nihilo setius corripitur; cf. etiam

víros nostrós] Stich. 98. *quís haec est*] Stich. 237.
nóvos opórtet] Truc. 244. *nóvo libérto*] Epid. 727.
iócon adsímulem] Bacch. 75. *mánus ferát*] Bacch. 480.
tíbi aut quoi] Bacch. 491. tíbi os senéx] Cas. 496.
nóvom nuptúm cum nóvo marito] Cas. 859.

Eos vero locos, quibus syllabas positione tantum longas apud Plautum correptas invenimus, paene innumerabiles esse inter omnes constat. Quae cum ita sint, non assentior Lindsaio, qui huic versui iambicam mensuram esse adhibendam statuit. Deinde autem verborum ac sententiarum aequabilitas mihi videtur poscere, ut ‚*ero*‘ retineatur, quoniam inter se respondent cum alia (sc. ‚*intus — hic*‘) tum ‚*ero uni*‘ et ‚*vobis omnibus*‘. Accedit denique facetia vel si mavis annominatio illa, qua ‚*ero*‘ bis positum alibi aliam in partem accipiendum est (cf. *Anc. Edit.* p. 55.).

Poen. 928. Atque etiam aliud quiddam in eadem hac parte fabulae dignum est quod attendatur: nam quod A traditum exhibet ‚*remoror*‘, hoc temptandum non esse censeo. Immo cum parataxi verba mihi videntur construenda esse sic:

remoror: si sit qui malam rem mihi det, merito fecerit.

Verbo remorandi autem tribuenda est hoc loco vis re flexiva (= ‚*me remoror*‘ vel ‚*me commoror*‘ v. 924.), id quod mirum non est et exemplis potest comprobari (velut Cas. 804.). Ad sustentandam vero hanc verborum constructionem prorsus usitatam *si sit qui . . . . det**)

*) Hoc modo circumscribitur orationis forma simplex *si quis . . . det* sqq.

etsi exemplis ne opus quidem est, tamen delego ad Poenuli v. 1119:

est qui illam conventam esse volt.

cf. etiam Asin. 232; 242. Cas. 689. Trin. 91 sq. 268 sq. Sic codicis rescripti lectionem, quam aspernati sunt editores quod sciam omnes, satis confirmasse et ab omni suspicione vindicasse mihi videor. Sed longissime, id quod declarare mea maxime interest, a vero aberravit Leo, cum corruptelam in P traditam (‚*remor*‘) in A grassatam esse praedicavit (Pl. F. p. 8.). Immo contrarium est statuendum: veram scripturam exstare in A, falsam in P eo referendam esse, quod litterae ‚*or*‘ semel tantum scriptae sunt, qualia menda in libris latissime patere quis est qui nesciat? —

Poen. 1188 sqq. His de versibus, quoniam Leo in editione sua dicit haud scire sese an spuria sint verba ‚*rebus meis agundis*‘, primum, ut si qui ex hac adnotatione oriri possint errores praecidam, gravissime hoc moneo, ab ipsa orationis forma (sc. ‚*da diem hunc sospitem*‘ cf. Epid. 341.) utique desiderari dativum seu personae (velut ‚*mihi*‘) seu rei, qualem dativum eundemque aptissimum cum libri praebeant, cur temptemus nihil omnino esse assevero, nisi forte offendas temere in numero plurali. Hoc primum firmatum ac stabilitum volo. Deinde quod Leo Muelleri sententiam secutus ‚*libertatem*‘ interpolatoris esse statuit, ne hoc quidem mihi probatur: nam etiamsi nostra aetate sunt, qui pro rerum tenore melius aut rectius ducant ‚*has redde mihi*‘ vel ‚*has redde mihi in potestatem*‘ vel tale aliquid, cur putemus ipsum hoc Hannonem cogitare aut praedicare debuisse? Nonne hoc est suam ipsorum sententiam poetae iniungere? Accedit quod haec orationis forma ne aliena quidem est a sententia: namque implorat Hanno Iovem, ut filiabus, quas apud lenonem servitute premi et quibus peiorem etiam

sortem instare cognovit (cf. v. 1139 sq.), libertatem reddat. Hoc enim maxime refert, ut libertatem recuperent, id quod brevi eventurum esse haruspex illis ex victimarum extis portendit (cf. v. 1205 sqq.). Quid verbis opus est? Tum quoniam inter se discrepant ‚*ut*' et imperativus qui sequitur, reponendum est ‚*et*', id quod sine ullo scrupulo, ut opinor, facere possumus, quippe cum in A scriptura sit incerta. De coeptae constructionis mutatione, quamquam talia ipsa per se non inaudita sunt, tamen hoc loco minus cogitaverim, quia servandam esse censeo et concinnitatem sententiarum et constructionis simplicitatem, quae turbarentur, si inter se sequerentur duae sententiae finales. Denique quod ad metrum attinet, ego quidem ad rem magis illustrandam suadeo, ut versus 1187—1190. dispescantur in dimetros anapaesticos, quod nullo negotio fieri potest.

Juppíter qui genus colis álisque hominum,
Per quém vivimus vitálem aevom,
Quem pénes spes vitae súnt hominum
Omnium, da diem hunc sospítem, quaeso,
— — — — — — — — — — — —
Et quíbus annos multós carui
Quasque ⟨é⟩ patria perdídi parvas,
Redde his libertatem, invictae
Praemium ut esse sciam piétati.

Relinquuntur in mediis his dimetris verba ‚*rebus meis agundis*', quae sicut tradita leguntur repraesentant iustum dimetrum bacchiacum. Eandem hanc metri formam, si universam rem spectamus, antehac iam Goetzium statuisse cognovi, nisi quod in dimetrorum formam omnes hos versus redigere noluit. Ceterum ‚*e patria*' scribendum esse cum Camerario consentaneum est. —

Stich. 243. *Eu ecastor risi te hodie multum. — Quando aut quo in loco?* AP

Quae inest in hoc versu sententia, ea non modo non vituperanda est, sed ne uno quidem verbo, ut opinor, careri potest salvo sententiarum tenore. Itaque optime res comparata esset, nisi versus metrum excederet. Videtur enim versus esse septenarius trochaicus mediis senariis immixtus. Quapropter Studemundus coniecit in unum versum coaluisse duo senarios tales:

eu ecastor ⟨semper mihi quidem tu Gelasimu's
nam⟩ risi te hodie multum. — Quando aut quo in loco?

parum accommodate ad persuadendum. Nempe laudat Crocotium parasiti facetiam, qua dixit iam non Gelasimo, sed Miccotrogo sibi nomen esse, id quod intellegitur e verbis ‚*eu ecastor*': sed si ita esset, ut Studemundus rem se habere vult, illam facetiam tamquam detrectaret, quae detrectatio cum voce laudantium non conveniret. Quae cum ita sint, Lindsaium secutus verba ‚*eu ecastor*' extra versum ponenda et versum ipsum sic legendum esse statuo:

risi ted hodie múltum. — Quando aut quó in loco?

Mil. 1066. eadem verba (‚*eu ecastor*') sintne cum Lindsaio extra versum collocanda potest fortasse dubitari. —

Caute dubitanterque addo hos locos:

Men. 201. Verba ‚*haud Hercules*' aut transponenda sunt cum Lambino*) aut faciendum est cum Lindsaio, qui ‚*haud*' in fine versus superioris collocandum esse censet (p. 79. adn. 3.). Eadem haec ratio non temere potest institui Pseud. 835, ubi ‚*aut*' (nam quod A praebet ‚*haut*', ortum est falsa vocis ineuntis ad proximum verbum accommodatione, cuius exempla libri suppeditant plura velut

Poen. 184: *h*auri et hominis P — A n. l.
- 345: *l*aurei lymphatici A

*) Festi testimonium (p. 302.), quippe cuius lectio sit lacunosa, magis ambiguum est quam unde certa coniectura capi possit.

Poen. 481: *gl*andiculos globos A
- 994: quo ex *quo*ppido B (fortasse)
Pseud. 229: phoenici *ph*oenicio P
Stich. 59: *h*is habitu hau A
- 152: heri *h*aut hodie A)

in principio v. 836. in AP traditum transferendum videatur in finem versus superioris. Stich. 259. interiectionem ‚*au*' ineunte versu in AP traditam Leo recte in finem versus praecedentis transtulisse mihi videtur, qua ratione v. 259. quin fiat politior vix est dubium. Mil. 1132. recte ‚*Acroteleutium aut*' exhibet A in fine versus (P omisit ‚*aut*'), quod exemplum ipsum per se satis est ad confirmandam illam rationem, quam Lindsaius identidem persecutus est. Item Cas. 678. A recte praebet ‚*in*' in fine versus, ubi servandum est; cf. etiam Men. 592: ‚*controversiam ut*' A (recte ut opinor).

Ductus autem ita rem gessit Lindsaius, ut opinor, illa Vahleni commentatione, quam inscripsit *Über die Versschlüsse in den Komödien des Terentius* (Berol. 1900). Contrariam rationem iniit Hertzius in Trin. v. 96 (P—A n. l.), cum ‚*scio*' in principium sequentis versus transtulit.

Et profecto concedendum est vel in optimis codicibus non raro strages ac ruinas editas esse eo, quod librarii vel grammatici neglecta exemplaris scriptura existimarunt ea verba quae inter se cohaererent non esse diiungenda ita, ut verbum alterum alteri versui attribueretur. Quin etiam in eo est, ut, sicubi prorsus eandem scripturam exhibent ambae recensiones, ex ea re nullae coniecturae fieri possint.

Itaque non inepte ille Menaechmorum versus legi potest sic:

*Hércules aequé**) *magno úmquam ábstulit periculó.*

*) *aequé* minime suspectum est; cf. Asin. 493. Epid. 307. Mil. 1293. Most. 302. Stich. 274.

Most. 1043. *Nam erus me postquam rus misit ut filium suom arcesserem* AP.

Sintne re vera cum Bothio transponenda verba ‚*ut filium*' licet dubitare. Immo concedendum est posse versum immutatum legi sic:

nam érus me póstquam rús misit, ut filiúm suom arcésserém

nam ut est versus septenarius trochaicus, statui potest etiam caesura iambica in quarto versus pede (sc. post ‚*misit*', cuius verbi mensura ipsa haudquaquam suspecta est; cf. Capt. 9: *véndidit*. Epid. 243: *évenit*. Men. 921: *pércipit*. Pseud. 311: *vixit*. Poen. 1059: *emit*. Poen. 260: *éxcidit*. Merc. 710: *vidit*). —

Rud. 763. Sintne necessario quaedam verba transponenda, id quod fieri complures viri docti voluerunt, de ea re, ut opinor, licet dubitare. Nam etsi producta verbi ‚*messis*' syllaba altera mihi non probatur, tamen haud scio an versus sic legendus sit:

iám herclé tibi méssis in óre fiet mérgis púgneis.

Neque enim aut est cur haereamus in littera *s* per synaloepham sublata, quoniam syllaba brevis est, aut habemus cur offendamus in mensura ‚*herclé*', quippe quae confirmetur cum aliis locis tum Curc. 211:

síquidem herclé mihi régnum détur, númquam id pótius pérsequár.

Aulul. 40:

exi, inquam, age éxi: exeúndum herclé tibi hinc ést foràs.

(videlicet formulam affirmationis semper subsequitur pronomen personale)*).

*) Quae cum ita sint, fortasse retineri potest forma Stichi v. 474. in AP tradita, quae est:

lubénte herclé me fácies. — Ídem ego istúc sció.

Neque vereor ne quis verbum ‚*iam*' ictu produci posse infitietur: nam satis constat apud Plautum syllabas in simplicem consonantem desinentes persaepe produci et id quidem non modo ante ipsas personarum notas (cf. Trin. 375; 1185. Merc. 749; 788; 901. Pseud. 1315. Rud. 243. Amph. 719. Asin. 828. Epid. 485. Aulul. 636., quibus locis plerisque agitur de ipsa littera *m*), verum etiam in media oratione (cf. Men. 327. Merc. 706; 920. Most. 703. Trin. 425 (?). Poen. 328; 1108; 1295. Pseud. 449; 493; 1258 (?). Cas. 200. Rud. 70. Stich. 344. Curc. 438., quibus locis sustentantur etiam Pers. 41; 398. — ‚*quid*' pro ‚*quidquid*' usurpatum velut Poen. 881; 1087 (?). Merc. 991. Amph. 396. Trin. 570. Bacch. 866. — Mil. 481. aliique, quorum natura est simillima. Cf. etiam ea, quae exposui ad Rud. v. 537.)*). —

Stich. 306.

simulque ad cursuram meditabor me ad ludos Olympios AP.

Summa rerum pendet ex ea quaestione, quae sane ambigua est, possitne verbum meditandi coniungi cum accusativo pronominis reflexivi, praesertim si inest in hoc verbo vis non cogitandi vel deliberandi, sed corporis exercendi, id quod cadit in hunc Stichi versum (cf. Most. 862.). Atqui in eo est, ut rem ita se habere nullo omnino exemplo admodum aequabili possit comprobari, nisi forte inde, quod participium perfecti ‚*meditatus*' et in prisca Latinitate**) et apud Ciceronem

quamquam multo elegantiorem versum Camerarius effecit transpositis verbis ‚*hercle me*'. At minus nostrum est ex iis, quae codices scripta exhibent, versus quam elegantissimos extricare quam codicum scripturam, quacumque ratione potest fieri, tueri ac servare.

*) Sane dubitanter hoc admiserim in Poen. v. 479: nam profecto ‚*idhaerésceret*' aliquatenus suspectum est neque prorsus eiusdem generis est ‚*redducere*' taliaque (cf. Capt. 923.).

**) cf. Pseud. 941.

aliosque persaepe passivam vim habet atque adeo de personis interdum dicitur (velut ‚*probe meditatus*' Mil. 903. Trin. 817; ‚*permeditatus*' Epid. 375.), sic colligas licuisse Plauto dicere etiam ‚*meditari aliquem*' vel ‚*se meditari*'. Sed cave ne nimium festinanter aut fidenter hoc statuas, quoniam hoc exemplum est prorsus solitarium. Quam ob ipsam rem nihil, ut opinor, attinet hoc verbum comparari cum verbo penetrandi aliisque, quippe quae apud Plautum aut plerumque aut non raro cum accusativo pronominis reflexivi coniuncta exstent. Verum tamen quomodo natum sit illud ‚*me*' si quaerimus, non sine causa licet dubitare, num a grammatico nescioquo additum sit, quoniam haec verbi constructio ab usu posteriorum temporum prorsus aliena erat. Ac ne de fortuita quidem corruptela cum aliqua probabilitate mihi videtur posse cogitari. Quae cum ita sint, illam verbi constructionem, quamvis inusitata esse videatur, etsi dubitanter cauteque, tamen adsciscamus et Plauto vindicemus, cum praesertim idem verbum nonnumquam promiscua sententia alibi aliter usurpatum inveniamus velut ‚*superare*' Stich. 279. (eadem verbi constructio occurrit cum translatione quadam sententiae Aulul. 701.) et ‚*sese superare*' Stich. 365. (quod ipsum quoque solum eiusmodi exemplum neque vero temptandum est). Sequitur, ut etiam ‚*ad cursuram*' intactum relinquamus*).

Pers. 265. *nunc amico homini bibus (?) domi(ti)s mea ex crumina largiar* A.
nunc amico hominibus domitis mea sqq. P.

Quae sit scriptura genuina valde ambigitur: nam ut sententia versus satis perspicua est, sic verba ipsa vereor ne certo enucleari non possint. Ac primum

*) Fortasse etiam sic licet ratiocinari, ut dicamus: *meditari* est *exercere*; quam ob rem, cum dicatur *exercere se ad cursuram*, potest etiam dici *meditari se ad cursuram*.

quidem hoc moneo, nihil esse quod offendamus in ipsa verborum coniunctione ‚*amico homini*', quoniam haec forma orationis Plauto tamquam in deliciis fuit; exempli causa affero:

homo amicus] Asin. 445. Bacch. 386; 1156. Curc. 332. Pers. 595. Trin. 924.

servus homo] Asin. 470. Epid. 60[b]; 327. Mil. 563. Stich. 58; 442. (cf. 446.); 692.

homo verbero] Pseud. 1205. *homo coquus*] Pseud. 792.

homines captivi] Capt. 100. Men. 79.

cives homines] Pers. 749. *civis femina*] Pers. 475.

meretrix mulier] Men. 261; 335. Merc. 685. Stich. 746.

puellae meretrices] Poen. 1094. *mares homines*] Poen. 1311.

homo amator] Cas. 564. *senex amator*] Cas. 684.

amatores mariti] Men. 128. *senex maritus*] Cas. 35.

magister exercitor] Trin. 226.

anus uxores] Most. 281. (cf. etiam v. 703, ubi verba sunt coniungenda sic:

siquis habet uxorem dotatam atque anum).

Neque quemquam in hac re offensurum esse credo, nisi metricae difficultates exsisterent atque adeo ex Palatinae recensionis scriptura fortasse colligi posset ‚*homini*' additum esse ad sarciendam formam ‚*bibus*' (vel ‚*bubus*'), qua forma quid facerent librarios ignorasse non improbabile esset. At nimis dubia res est neque quicquam possumus coniectura assequi nisi probabilitatem maiorem vel minorem, cum praesertim eae ipsae litterae, de quibus potissimum agitur, in A admodum incertae sint. Forsitan profectus a codicis rescripti lectione coniciat quispiam scripturam genuinam fuisse hanc:

‚*núnc amico hómini búbus dómitis mea éx crumína lárgiár*'. *)

*) Quod attinet ad verborum structuram (sc. ‚*largiri alicui aliqua re*'), etsi nullo exemplo certo confirmari potest, tamen quodam modo comprobari mihi videtur comparatis verbis litandi et sacrificandi (cf. Epid. 175. et Most. 241., quo loco in libris corrupto

Sed si quis haereat in correpta vocis ‚*amico*' syllaba media, is secum reputet, quam multa in fabulis Plautinis sint eiusmodi exempla; cf. enim:

Aulul. 606: *núnc sine omni*

Pers. 37: *repónam in hoc tríduo*

Stich. 697: *pácto ego hoc técum*

- 701: *dúmque se exórnat*

- 718: *éripe ex óre*

- 674: *vostrúm volo, spéctatóres*

Most. 281: *anús domi sínt*

Bacch. 996: ceraé quidem haud pársit

confer etiam illa, quae saepius leguntur:

‚*núnc egŏ, hércle egŏ, nólo egŏ, nón egŏ, quín egŏ, quás egŏ, vérum egŏ, múlta egŏ, vídi egŏ, scíbam egŏ; tú modŏ, quód modŏ; núnc tibĭ, quín tibĭ, quíd tibĭ, út tibĭ.*' *)

Leonis coniectura praeter ceteras mihi probatur; Stich. 251: ‚*quot agnis fecerat*' sc. sacra) et id quidem eo magis, quod praesertim in prisca Latinitate ‚*largiri*' etiam absolute usurpatum est (velut Trin. 742: ein Geschenk, eine Spende, Zuwendung machen). Quapropter Pseud. 395 sq.:

‚*quid nunc acturu's, postquam erili filio*

largitu's dictis dapsilis? ubi sunt ea?'

illud ‚*dapsilis*' minus cum Leone nominativum (λόγους δαψιλής, quamquam ne id quidem ineptum est; cf. enim Epid. 117: ‚*beneficum esse oratione*') intellegendum quam ut ablativum cum ipsa voce ‚*dictis*' coniungendum esse censeo. Sed si quis contra hoc dicat Plautum numquam nisi nominativum ‚*dapsilis*' usurpasse, is secum reputet apud Graecos non modo δαψιλής, verum etiam δαψιλός in usu fuisse. Confer etiam ‚*hilaris — hilarus, imberbis — imberbus. exanimis — exanimus; sacer, -cra, -crum — sacer, -cris, -cre* (Men. 290. Rud. 1208.) aliaque. Quae cum ita sint, cur nominativum ‚*dapsilus*' interdum usurpare non licuisse poetae arbitramur? Denique anapaestus in quinto pede senarii iambici minime suspectus est ac permultis exemplis confirmatur.

*) Hac ratione defendi videtur etiam Most. v. 1091. scriptura tradita:

vél homínem iube aedís mancípio póscere. — Immo hóc primúm volo.

nisi quod hoc in versu syllaba longa bis corripienda sit.

Ceterum haud mediocriter miror, quod Lindsaius in textum editionis suae recepit scripturam recensionis P mea quidem sententia ineptissimam: nam hoc quidem pro explorato habeo, eam esse corruptam. Quid tandem sibi vult ‚*hominibus domitis*' aut quid his fieri vult Sagaristio? Aut quid negoti est hominibus domitis in crumina? Nugae sunt eae. Immo nihil in crumina locum habet nisi ‚*boves domiti*', quoniam ad boves mercandos Sagaristio missus erat; idem hoc ioci genus apud Plautum latius patet velut Pers. 317. Asin. 590. Truc. 655. —

Caput II.

Loci ii, qui utrum corrupti sint necne diiudicare non audeam.

Epid. 455. *centones farcias* AP. (‚*sarcias*' reposuit Lambinus, quam coniecturam adsciverunt omnes). Hoc de loco quamvis copiose docteque disputaverit Gronovius (lect. Plaut. p. 154 sq.), tamen, ut aiunt, acu rem tetigisse mihi non videtur. Nam non illud refert, causis rationibusque explanare in locutione ‚*centones sarcias*' inesse sententiam bonam aut fortasse meliorem, verum hoc refert demonstrare, pravam esse codicum scripturam neque posse tolerari, id quod argumentatione sua ille non effecit.

Bacch. 498. *te me amicum atque alios* A
te me amicos atque alios P

Res eo magis dubia est, quod cui personae tribuenda sint haec verba valde ambigitur. Sed fortasse recte coniecit Niemeyerus (de Plauti fab. rec. dupl. p. 34.) cum A scribendum esse ‚*temet amicum*', quae coniectura lenissima si est vera, corruptela dumtaxat nulla est.

Trin. 186. Quae sit scriptura genuina, perquam ambiguum est; nam ut in A traditum est:

‚*hasce mihi propter res malas famas ferunt*'

sic in P scriptum legimus:

‚*hascine me propter res maledictas famas ferunt*'

qua ex scriptura paulum infuscata nullo fere negotio expediri potest id, quod recensio Palatina videtur habuisse:

‚*hascine propter res maledicas famas ferunt*'.

Sed iam in medias difficultates incurrimus. Quaeritur enim, quae ratio intercedat inter hanc recensionis P scripturam et illam Ambrosiani, vel, quoniam huc omnia videntur redire, quid sibi velit vocula ‚*me*' in codicum Palatinorum textum ingesta, utrum habendum sit merum librarii mendum (sc. prava syllabae praecedentis iteratio, quales errores praecipue scriptio continua multos praebet) an corrupta sit ex verbo ‚*mi*' ab nescio quo olim in margine archetypi adscripto posteaque, ut fere fit, in textum exemplaris recepto, id quod Leo quidem pro explorato videtur habere conlata scriptura Ambrosiani, quo in codice ut aliae quoque correctiones ad metrum stabiliendum versui iniungerentur (‚*hasce*' pro ‚*hascine*' et ‚*malas*' pro ‚*maledicas*' eadem illa voce ‚*mihi*' e margine archetypi in textum exemplaris transscripta effectum esse putat (Pl. F. p. 12.).

Sed cum et illud ipsum ‚*mihi*', quod insiticium esse Leo suspicatur, sententiae aptissimum et ‚*maledicas*' illi scripturae Ambrosiani (‚*malas*') anteponendum videatur, non temere, ut opinor, statuamus lectionem genuinam fuisse hanc:

‚*hasce mihi proptér res máledicás famás ferúnt*'

quae cum metro satis facere non videretur, in recensione altera alterum in modum — accedente librarii

mendo in P — esse temptatam non incredibile sit. ‚*hasce*' autem per apocopen *) videtur legendum esse (cf. Most. 796, ubi A verum exhibere censeo, siquidem statuitur idem hoc et hiatus legitimus qui videtur: ‚*sése hásce*'; nam ‚*hasce*' quidem ipsum per se satis est neque videtur addendum esse ‚*aedis*': cf. 798; 800; 822; 823.). Quae cum ita sint, hoc loco nihil admodum demonstratur.

Trin. 213. ‚*indignum civitate hac esset vivere*' P

qua ex forma versus nullo negotio expediri potest scriptura recensionis P:

‚*indignum civitate hac esse et vivere*'.

Sed eandem hanc lectionem tantummodo leviter obscuratam, cuius obscurationis origo repetenda est maxime ab inepta quadam verborum separatione, etiam A suppeditare satis perspicuum est, cuius codicis scriptura est haec:

‚*indignum civitate haece sciet vivere*'

etsi aliquot litterae incertae sunt. Quae cum ita sint, adsciscendane sit Gulielmii coniectura, qua suasit ut scriberetur:

‚*indignum civitate ac sese vivere*'

solam per sententiam stat. Ego quidem, quamvis aptam gradationem haec coniectura sententiae ingerat et quamvis exiguam litterarum mutationem ferat (cf. Pseud. 750.), tamen codicum scripturam ut ineptam aspernari animum non inducam. —

Truc. 374. Mihi quidem Abrahamum, quamvis copiose de hoc loco disputaverit (stud. Plaut. p. 186 sq.), tamen parum persuasisse confiteor. Nam quominus constructionem ‚*poscere ab aliquo*' a Plauto utique abiudicemus, mihi videtur obstare ille Trinummi versus,

*) Cogitavit de hac re etiam Lindsaius: cf. quae adnotavit.

quem ipse attulit et in quo praepositionem ‚*a*' delere aliquantum, ut opinor, dubitationis habet. Quid? ‚*postulare*' cum illa praepositione coniungi potuit, ‚*poscere*' non potuit? Nonne hoc quoque statuere quaedam libido est? Immo Ambrosiani scriptura:

‚*plus pollicere quam abs te posco aut postulo*'
Du versprichst mehr, als ich von Dir fordere oder auch nur begehre

haud inepta mihi videtur. Non temere igitur usurpata esse ponamus synonyma, quorum illud maiorem, hoc minorem vim habet. Eodem fere modo de hoc versu iudicavit Niemeyerus, qui elegantissimum esse Ambrosiani versum dixit (p. 12.). —

Rud. 521. ‚*Ego multo tanta miserior quam tu, Labrax*' AP

Idem hoc recurrere Stich. 339. (*multo tanta plus* AP) et Men. 800. (*multo tanta . . . . amplius* P — A n. l.) Leo recte monuit *). Quae cum ita sint, non agi de corruptela tamquam cotidiana neque digna cuius ratio habeatur, verum aliquid rei in hac scriptura latere Leoni utique assentior et id quidem non tam propter ipsum numerum quam propter naturam et condicionem harum corruptelarum quae perhibentur — est enim necesse nobiscum contemplemur etiam contextum verborum: quamquam quid tandem rei sit, ego non magis explanare scio quam Schoellius, qui non temere censet retinendam esse hanc formam et cogitandum de locutione ex ratione numerandi repetita (Goetz. Schoell. ed. min. fasc. VI. praef. p. 10.). Ceterum Bacch. 310. (*multo tanto carior* P — A n. l.) haud scio an librarius in promptu habuerit ‚*tanta*', scripserit autem ‚*tanto*', cum eius oculi aberrarint ad idem hoc verbum in versu insequenti scriptum. —

*) Men. 680., ubi codices inter se dissident, Lindsaius cum B^1 in textu posuit ‚*tanta*'; cf. etiam quae adnotavit.

Pers. 418. *stabulum servitritium* ABC
stabulum servitricium D.

Ad hunc versum Leo in editione adnotat haec: Vitiosum inquit est adiectivum, flagitatur genetivus rei ut illa ‚*nequitiae, flagiti, confidentiae*' nec idem est in hac librorum memoria ‚*-tium*' quod ‚*-cium*'. — At tamen num necesse sit coniecturam ‚*servitutium*' reponamus licet mihi dubitare. Etenim primum constat adiectivo prorsus idem effici atque genetivo (confer, ut ex permultis exemplis pauca selecta afferam:
cella penaria, olearia, vinaria, defrutaria;
pastor columbarius] Varro R. R. III 7,5.
forum boarium; f. piscarium] Curc. 474.
f. coquinum] Pseud. 790 sq. *f. furinum*] Pseud. 791.
sagina cellaria] Mil. 845. *reliquiae alicariae*] Poen. 266.
elecebrae argentariae] Men. 377.
auxilium argentarium] Pseud. 105.
inopia argentaria] Pseud. 300. *ictus argentei*] Most. 621.
fures thensaurarii] Aulul. 395.
mercatus meretricius] Poen. 339.
tessera hospitalis] Poen. 958; 1047 sq.
formicinus gradus] Men. 888.
feles virginaria] Pers. 751; cf. Rud. 748.
leoninum cavum] Men. 159. *hirundininus nidus*] Rud. 598.
ars parasitica] Capt. 469. *spes cenatica*] Capt. 495.
serviles nuptiae] Cas. 68; 73. *liberales* —] Cas. 74.
copia piscaria] Cas. 499. *struices patinariae*] Men. 102.
vincla escaria] Men. 94. *esuriales feriae*] Capt. 468.
cribrum pollinarium] Poen. 513. *ianuae lenoniae*] Asin. 241.
fides lenonia] Pers. 244. Rud. 1386.
servitus lenonia] Pseud. 767. *lutum lenonium*] Pers. 406.
Accedunt illa usitatiora:
erile scelus] Rud. 198. *erilis metus*] Amph. 1069.
erile negotium] Mil. 481. *custos erilis*] Asin. 655.
concubina erilis] Mil. 508. *filius familiaris, erilis*] persaepe.

Vides quam late apud Plautum pateat hic usus adiectivi. Deinde Plautum non una eademque orationis forma teneri, sed alias aliter loqui quis est qui nesciat? Nam ut unum saltem exemplum afferam, sicut ait Asin. 133. ‚*permities, adulescentum exitium*' (simillime Pseud. 364.), sic dicit Most. 3: ‚*erilis permities*'; cf. etiam Poen. 381; 463: ‚*homo trioboli*' et Poen. 270: ‚*scorta diobolaria*'. Tum quod Leo ait Plautum ceteroquin ‚*stabulum*' fere cum genetivo coniunctum habere, hoc sane concedo; sed quod exempli causa ponit ‚*stabulum confidentiae*', mihi videtur errare: nam Most. 350, de quo loco agitur, ‚*confidentiae*' dativum esse intelliges, si rerum contextum probe respexeris. Idem hoc cadit in Capt. v. 523:

‚*nec confidentiae usquam hospitiumst nec devorticulum dolis*'

ubi ‚*confidentiae*' ut dativus sit flagitatur orationis concinnitate. Neque vero consequens est, ut Plautum ‚*stabulum servitricium*' dicere non potuisse iudicemus. Denique, si reponamus ‚*servitutium*', quid sibi velit numerus pluralis parum perspicio, ut non dicam de ipsa huius genetivi forma, quam certo testimonio fulciri negat Buechelerus (declin. lat. p. 42.). Ac ne scripturae quidem ‚*servitritium*', quae non minus falsa est quam falsa esset ‚*meretritium*' vel tale aliquid, quamquam mirum esse hunc ambarum recensionum scripturae consensum fortasse interponas, magnum momentum tribuo, quoniam aut librarios quid facerent hac forma solitaria ignorasse aut grammaticos in ea interpretanda (fortasse ita, ut a verbo terendi eam derivarent cf. 420: ‚*compedium tritor*') in fraudem incidisse non temere suspicemur. Sed haec quidem hactenus. —

Mil. 497. *Expúrgare volo mé.* – *Tun te éxpurgés mihi?* AP. Hunc versum Ritschelius duplicem in modum restitui posse censuit, sive in priore versus dimidio verba trans-

ponerentur (‚*volo me expurgare. — Tune te expurges mihi?*‘, quam lectionem edidit Bothium secutus) sive ‚*mihi*‘ tamquam interpretamentum secluderetur et bis forma producta (‚*expurigare*‘) reponeretur*). Etsi non dubito concedere, seu hanc seu illam rationem inierimus, magis politum atque limatum versum exsistere, tamen haud scio an versus, sicuti traditus est, possit retineri. Nam hoc quidem certum est, Plautum huius verbi formas et productas et syncopatas usurpasse (cf. Amph. 706; 909; 945. Aulul. 791. Curc. 171. Merc. 321; 322. Trin. 96; 680.). —

Pers. 319. Idem hoc cadit fortasse in Pers. v. 319:

‚*enim metuo ut possim in bubile* (*bubilem* P) *reicere, ne vagentur*‘ AP

cuius versus mensuram non ferendam ideoque verbum ‚*reicere*‘ traiciendum esse censuit Bothius. At enim licet, ut opinor, verbum ‚*reicere*‘ in formam vel dactyli vel proceleusmatici redigere, qua ratione versui, ut est septenarius iambicus, tribuatur caesura trochaica, unde sequitur, ut in verbo ‚*bubile*‘, cuius syllaba prima videtur esse longa, non possit offendi. Sed quod attinet ad ‚*possim*‘ et hiatum subinde statuendum, ego quidem censeo cum Lindsaio reponendum esse et posse sine ulla dubitatione reponi ‚*possiem*‘**): nam etsi verum est Plautum has formas (‚*siem, sies, siet*‘) usurpasse plerumque in fine versuum, tamen non desunt loci, quibus illae in mediis versibus traditae legantur velut Poen. 148. Amph. 130. Bacch. 762:

‚*metuoque ut hodie possiem emolirier*‘.

*) Quam Lindsaius excogitavit lectionem, eadem, quamquam potuisse talia fieri non negaverim, tamen improbabilior mihi videtur (cf. quae adnotavit).

**) tametsi Leo (p. 365.) tres incommoditates metricas hoc modo nasci sibi videri dicit: ubi sunt eae?

Eadem ratione videtur sanandus esse Mil. v. 842., de qua re cogitavit iam Ribbeckius. —

Most. 854. Versum esse confragosum etsi concedo, tamen fortasse cavendum est, ne praefracte reiciatur: nam quid in A exstiterit, quoniam plurimae litterae evanuerunt, certo explorari non potest (fortasse ‚*istanc*‘ et ‚*abducant*‘), etiamsi hoc quidem satis apertum est, ‚*aliquis*‘ ibi non exstitisse.

Confragosus est etiam eiusdem fabulae v. 933.; sed num necessario temptandus sit fortasse potest dubitari. —

Pers. 1. sq. Hi duo versus, quoniam res nimis dubia est — nam ut sensus integer est, sic metrum turbari videtur — nobis in medio relinquendi sunt. —

Most. 961. Maxime vero est quod desperemus de Most. v. 961., ubi ‚*ducere*‘ suspectum est, quam ob rem Ritschelius reposuit ‚*conduci*‘. Ego quidem hoc tantum moneo, nihil esse cur haereamus in infinitivo activi per se ipsum. Immo hic ipse optime convenit cum verbis ‚*fidicinas, tibicinas*‘. Accedit quod formas activas et passivas mirum in modum inter se commixtas*) esse ex iis quae praecedunt satis intellegitur: quamquam ‚*pergraecari*‘ quidem utrum activa an passiva forma sit diiudicari vix potest. Nam etsi plerumque apud Plautum invenimus formam ‚*pergraecari*‘ (velut Most. 22; 64.), tamen Bacch. 743. ex codicum scriptura leviter obscurata recte extricatum est ‚*congraecem*‘. Et profecto inter omnes constat, quam late apud Plautum pateat ille usus, quo forma activa pro deponenti usurpatur. Sed haec hactenus. —

*) cf. Ter. Eun. prol. 36—40.

Caput III.

Loci ii, qui utrum corrupti sint necne etsi fortasse dubitatur, mihi quidem videntur esse corrupti.

Cas. 49. *‚amat efflictim et item contra filius‘* AP

Hoc potissimum moneo, non in verborum iunctura *‚item contra‘* ipsa per se esse cur haereamus (cf. enim Amph. 222. Aulul. 20. Curc. 163. Pers. 813.), sed in eo, quod adverbii *‚contra‘* vis ac natura cum sententiarum tenore parum videtur convenire. Nam praecipue *‚contra‘* apud Plautum dicitur de voluntate mutua (velut de amore mutuo Amph. 655. Cist. 95; 132; 193; 239. Merc. 919. Mil. 101. cf. etiam Catull. 76, 23.) aut de muneribus vel officiis mutuis (velut Amph. 694. Asin. 377. Aulul. 20. Curc. 163. Mil. 190. Pers. 813. Trin. 900.; huc cadunt etiam illa

‚auro contra‘ Curc. 201. Mil. 1076. Epid. 411. et *‚aurichalco contra‘* Curc. 202. Mil. 658. Pseud. 688.),

qua cum significatione interdum coniungitur consilium adversarii propulsandi (velut Mil. 198.): quae omnia ad hunc locum Casinae, ut quidem in libris traditus est, non pertinent. Perraro autem inveniuntur loci, quibus *‚contra‘* fortasse accipi possit in eandem partem atque Graecum αὖτε (vel αὖ) — cui apud Plautum respondet *‚autem‘* — velut Mil. 123: *‚ubi contra aspexit me‘*, nisi quod hic quoque res sane ambigua est. Nam probabilius est hic quoque adverbio *‚contra‘* tribuendam esse eam sententiam, quae inest in Homerico ἐσάντα (ἐσάντια ἰδεῖν Od. 11, 143. Il. 17, 334) et quae sola convenit in alios locos Plautinos velut Cas. 940. Most. 1105. Quapropter — etsi dubitanter — conicio versum fuisse mancum, excidisse autem *‚deamat‘* (cf. Epid. 219.) vel tale aliquid et ad sarciendum versum ab nescioquo ex insequenti versu immissum esse illud *‚contra‘*:

‚amát efflictim ét item déamat filiús‘.

An sic est scribendum:

‚amát efflictim et aútem déamat filiús‘

(cf. Merc. 119. Mil. 1149. Poen. 841; 926 sq., quibus tamen locis positum est *‚et . . . . . et autem‘*)? Videlicet quae medela versui sit adhibenda non minus incertum est. —

Stich. 248. Seorsum a Leone iudico, cum Stichi v. 248., sicut in libris legitur:

rogare iussit te ut opere maxumo
(mecum simitu ut ires ad sese domum.)

corruptum esse arguo, non quo negaverim *‚ut‘* tam brevi spatio intermisso fortasse iterari potuisse — nam verum est posse iterari, ubi sententia coepta interpositione aliqua praesertim longiore interrumpitur velut Aulul. 792 sq. Bacch. 777 sqq. Capt. 248. Cas. 511 sq. Pseud. 580 sqq. Rud. 1256 sq. Trin. 141 sqq. Ter. Andr. 828 sqq. Phorm. 153 sq. (quae exempla pleraque congessit Niemeyerus ad Trin. v. 141.), quamquam ad huncine locum id pertineat mihi licet dubitare, quia illa exempla aliter comparata sunt praetereaque Amph. 495., quod exemplum solum propter quandam similitudinem comparari posse videatur, *‚ut‘* prius non sine causa Acidalius delevit: sed cum *‚opere maxumo‘* coniungendum sit cum verbo *‚rogare‘* — nam hoc tantum sermoni Plautino convenit: angelegentlich, dringend bitten cf. Cas. 21; 531; 992 sq. Mil. 75. — quid sibi velit illud *‚ut‘* profecto non intellego. Quid enim est *‚opere maxumo ire‘*? Quocirca *‚ut‘* delendum est et statuendum falso invasisse ex insequenti versu in hunc versum, quem iam antea mancum fuisse putamus, nisi quod quemadmodum supplendus sit sane ambigitur. Ego quidem conicio versum sic esse legendum:

‚rogare iussit ted ⟨et id⟩ opere maxumo‘

(*et id*: καὶ τοῦτο: und zwar): quae cum ita sint, facillime perspicitur, qui factum sit ut quaedam verba exciderent.

Mil. 488. — — *meamne hic invita* (*invitam* A) *hospitam*
— — — — — — — — — — —
tractatam et ludificatam, ingenuam et liberam AP.

Recte ‚*in via*' reposuit Camerarius, quoniam illud ‚*invita*' (vel ‚*invitam*') male convenit cum verbo tractandi, quod quemadmodum sit accipiendum intellegitur e versu 510: est enim verbum intensivum a simplici ‚*trahere*' derivatum et propriam vim habet, quae est hin und her zerren. Vix autem cum tali verbo coniungi potest ‚*invitam*'. An putamus fieri fortasse potuisse, ut Philocomasium se tractari et ludificari facile libenterque pateretur? Profecto mihi quidem tale aliquid videtur prope absurdum. Contra aptissimum est illud ‚*in via*' (auf offener Straße), quo reposito rerum tenori ingeritur gradatio efficacissima et quod mihi videtur sustentari aut commendari verbis ‚*ante aedis meas*' (v. 510.) in eodem rerum contextu positis. Hoc dico, quoniam et Leo et Lindsaius codicis rescripti lectionem sine ulla dubitatione retinuerunt. Immo ambas recensiones frustra esse assevero: ‚*invitam*' vero, quod praebet A, scriptum est falsa casuum similitudine, quae quam longe in libris pateret et quam nihili aestimanda esset alio loco explicavi. —

Stich. 44. ‚*etsi illi improbi sint atque aliter*
nos faciant quam aequomst' sqq. AP.

‚*nos*' vereor ne non recte scriptum sit; immo exspectas aut ‚*nobis*'*) aut ‚*in nos*' (cf. Amph. 184. Asin. 613. Cas. 628. al.), praeterquam quod verbum faciendi, si quidem eadem quae inest in verbo aestimandi significatio ei tribuatur, possitne coniungi cum adverbio nimis

*) Sic Leo cum Guieto.

dubium est. Nihilo setius codicum scripturam retinuit Lindsaius neque adeo suspectam esse in editione sua significavit. —

Stich. 175. ‚*quia inde iam a pausillo puero ridiculus fui*' AP.

Suo iure offenderunt viri docti in verbis ‚*inde iam a*' falso collocatis: nam recte collocantur verba sic: ‚*iam inde a*' (cf. Pseud. 970. Bacch. 1207. [1006]. Cas. 4. Capt. 645. Ter. Ad. 41; 440. — Ter. Heaut. 183. incertum est, utrum ‚*usque*' an ‚*inde*' sit delendum, quoniam in hac verborum iunctura utrumque dici potuit. Atque etiam Merc. v. 521: ‚*matura iam inde aetate*' nisi omnia fallunt corruptum Luchsius ad exemplum horum versuum recte videtur emendasse, cum scripserit ‚*iam inde a matura aetate*'). Quae verborum collocatio usu Plautino et Terentiano requisita cum metro repugnet, relinquitur, ut aut cum Guieto ‚*inde*' aut, etsi hoc minus mihi probatur, ‚*iam*' deleamus; Goetzio vero, cum utrumque secludi velit et id quidem nulla necessitate coactus, minime assentior. Forsitan res se habeat sic, ut duae lectiones hoc loco conflatae sint, quarum altera fuit ‚*iam a*', altera ‚*inde a*': nam conflatas esse nonnumquam in libris Plautinis lectiones gemellas, hoc quidem satis certum mihi videtur neque adeo ipsum per se improbabile est (cf. Pseud. 372; 389; 392., de quibus locis Seyffertus non inepte in hanc sententiam iudicavit), etsi cavendum nobis est, ne prima quaque occasione, praesertim ubi codicum scriptura — scilicet si mente non occupata rem tecum consideres — nullam omnino ansam dare videtur, temere ac fortuito tale quid statuamus, sicut Lindsaius quidem saepius quam oportuit in libro quem supra dixi et in editione sua rem gessit. —

Capt. 925 sqq. In iis locis, quorum scripturam traditam defendi non posse censeo, imprimis est Capt. v. 925:

quae adhuc c(arens du)m huc fui sustentabam A
quae adhuc te carens dum hic fui sustentabam P.

Ac primum quidem orationis formam ‚*carens fui*' utique Plautinam esse comprobatur illis exemplis, quae Leo in editione attulit et quibus addi velim haec:

Amph. 132: *quoius cupiens maxume est* (sim. Mil. 997.)
Amph. 989: *ego sum Iovi dicto audiens*
(sim. 991. Pers. 378; 836.)
Most. 141: *postilla optigere me neglegens fui.*

Confer etiam, ut ex multis pauca exempla Graeca ponam: Eur. Cycl. 381: πῶς, ὦ ταλαίπωρε, ἦτε πάσχοντες τάδε; ibid. 635 sq.: ἡμεῖς μέν ἐσμεν μακρότερον πρὸ τῶν θυρῶν
ἑστῶτες sqq.

Abicienda igitur est illa coniectura Acidalii: ‚*dum te carendum hic fuit*'.

Iam venimus ad summam controversiae: quaeritur enim, sitne retinendum ‚*quae*' atque id, quamquam praecedit ‚*miseriis*', an reponendum ‚*quas*'. Sed hinc paulo longius mihi videtur esse digrediendum. — Verum est sententiam relativam interdum non accurate cum demonstrativa iungi, sc. ita, ut a genere masculino vel feminino transeatur ad neutrum, magisque sensum quam verba spectari. Hactenus haud dubie recte iudicat Ussingius, nisi quod illa exempla, quae attulit ad Amph. v. 959., diligentius examinari oportuit. Quorum exemplorum (atque aliorum) naturam cum accuratius nobiscum consideraverimus, apparebit illum transitum fieri plerumque, ubi vis ac sententia substantivi enuntiato relativo tamquam circumscribitur velut Asin. 559:

‚*virtutes tuas . . . . . quae domi duellique male fecisti*'

nam ‚*quae . . . . male fecisti*' in hoc sententiarum contextu idem est ac ‚*virtutes tuae*' sc. ut in homine nequissimo malam in partem accipiendae (velut etiam nostrates identidem cum ironia usurpare solent vocem Heldentaten). Neque adeo dici potuit ‚*quas . . . . male fecisti*',

quoniam non dicitur ‚*virtutes facere*'. Idem hoc cadit in Men. v. 991:

‚*ut imperium meum*
sapienter habeatis curae, quae imperavi atque impero'

quo ipso quoque loco substantivi vis circumscribitur sententia relativa, atque etiam in Epid. v. 239 sq. (quem locum Ussingius non protulit):

‚*nec satis exaudibam nec sermonis fallebar tamen,*
quae loquerentur'

ubi ‚*quem loquerentur*' ineptissimum esset, quoniam, ut dici potest ‚*sermonem habere*', sic non potest dici ‚*sermonem loqui*'.

Aliter comparatus est Amph. v. 966:

‚*ego rem divinam intus faciam, vota quae sunt*'

ubi facile subauditur ‚*iis*': nam ‚*rem divinam facere*' (cf. Aulul. 612. Poen. 408. Rud. 95; 130.) idem est ac ‚*sacra facere*', quod saepius cum ablativo instrumenti coniunctum exstat. Accedit, quod minus rem divinam vovit quam rem divinam se facturum esse, unde intellegitur potius quam ‚*vota quae est*' desiderari ‚*(id) quod votum est*'. Eodem modo interpretandum est Trin. 839:

‚*satis partum habeo, quibus aerumnis deluctavi*' sqq.

Iam vero aliquid similitudinis intercedit inter Ter. Heaut. v. 876 sq.:

‚*in me quidvis harum rerum convenit,*
quae sunt dicta in stulto' sqq.

et Plaut. Curc. v. 353:

‚*omnis res paratast et nos quibus paratumst assumus*'

nam ut hic ‚*omnis res paratast*' dictum est pro ‚*omne paratumst*' (Men. 364.), ad quam orationis formam prorsus accommodatum est illud ‚*paratumst*', sic ibi ‚*harum rerum*' liberiorem in modum dictum est pro ‚*horum*' (vel ‚*eorum*'), quae forma eo magis exspectatur, quod praecedit non ‚*quaevis*', sed ‚*quidvis*'. Denique haec quoque generis mutatio mihi quidem perspicua atque consentanea videtur.

Minime autem comparari oportuit Cic. de fin. III 21, 70:

‚amicitiam autem adhibendam esse censent, quia sit ex eo genere quae prosunt.‘

Nam *‚ex eo genere‘* dictum est pro *‚ex eorum genere‘*, quod quasi plane appareat, subiungitur *‚quae prosunt‘*. Eandem hanc orationis formam longe lateque patere satis constat. Huc cadit etiam illud *‚Solo in eo numero fuit, qui sapientes iudicantur‘*, qualia exempla iam in scamnis solent discipulis inculcari.

Nullum horum exemplorum plane convenit in illum Captivorum versum, a quo initium cepimus, nisi forte verbis *‚quae sustentabam‘* id quod inest in vocabulo *‚miseriae‘* tamquam circumscribi statuas, qua de re licet dubitare eo magis, quod sane bene dicitur *‚miserias* (vel *‚aerumnas‘*) *sustentare‘*; cf. *πόνους* vel *ταλαιπωρίας ὑπέχειν*.

Quapropter, nisi omnia fallunt aut nos admodum frustra sumus, reponendum est *‚quas‘*, quo reposito formam orationis simplicem ac sinceram fieri utique concedas. Id ita esse Ussingius ipse non multo post intellexit (cf. quae ad hunc locum in editione adnotavit). Nihil effecit Spengelius Palatinorum scripturam ipsis verbis defendere conatus (Reformvers. p. 353.).

Iam accedamus ad reliqua eademque non minus difficilia. Quaeritur enim, utrum retinendum sit illud *‚te‘*, quod scriptum exhibet P, A videtur omisisse, an cum Leone ex Ambrosiani scriptura *(‚huc‘)* extricandum sit *‚hoc‘*, id quod vereor ne explorari non possit, nisi deliberaverimus, quam personam Hegio unoquoque versu appellet aut intellegat. Itaque cum non sit dubium, quin v. 923. appellet filium suum in libertatem reconciliatum, verisimillimum est v. 925. spectare ad eundem et ob orationis concinnitatem et ob ipsam sententiam: namque propter filium absentem senex maximas

aerumnas sustentavit. Ex eadem autem concinnitate orationis mihi videtur sequi, ut senex, cum v. 923. filium ipsum appellaverit *(‚te‘)*, item v. 925. ipsum appellet, non repente aversatus alloquatur spectatores, cum dicat *‚hoc‘*. Est igitur retinendum *‚te‘* et id quidem eo magis, quod in sequenti versu, cum dicit *‚hunc‘*, haudquaquam eundem (sc. filium) intellegit, verum — sicut verisimillimum est — Stalagmum servum*), quem etsi paulum a sene remotum tamen in scaena adesse animo nobis informandum est (cf. 951; 954.). Postremum versum spectare ad Philocratem, quippe qui fidem interpositam optime servaverit, prorsus manifestum est. Itaque cum v. 926. et 927. non ad eundem spectent cumque *‚hunc‘* (926.) intellegendus sit Stalagmus, improbo et codicum scripturam *‚haec‘* (927.), qua versus insuper mancus fit, et illam coniecturam, qua Bothius eumque secutus Leo reposuerunt *‚huius‘*. Immo vero exspectatur *‚illius‘* vel *‚illaec‘*, quod reposuit Bachius; potuit autem Plautus dicere *‚illaec fides‘*, quia idem est ac *‚fides quam ille dedit‘* (cf. Most. 1166: *‚istam veniam‘* i. e. v. quam isti dedisti).

Sed ut redeat illuc unde deflexit oratio: nam quaeritur, quae mensura adhibenda sit versui 925., quem scribendum esse censemus sic:

‚quas adhuc, te carens dum hic fui, sustentabam‘

Metrum est bacchiacum, quod stabiliri non potest, nisi legitur aut

‚quas ádhuc té‘ sqq. (sc. cum correpta syllaba tertia)

aut

‚quas adhúc té‘ sqq. (sc. cum correpta syllaba prima)

*) Nam Philocrates quominus intellegi possit, stat per ipsum vocabulum *‚potestas‘*: is enim, quoniam inter eos convenerat ut, simulatque filium Hegionis redemptum in Aetoliam reducem fecisset, e custodia in libertatem emitteretur, reversus re bene gesta iam non dumtaxat in potestate Hegionis est. Sed optime convenit hoc in Stalagmum.

Sed ne quis contra haec dicat talia in versibus bacchiacis prorsus inaudita esse, primum hoc moneo, de versibus bacchiacis, ut sunt iambica metra syncopata, non aliter iudicandum esse ac de iambicis versibus ipsis, a quibus neque hoc (cf. quae exposui ad Trin. v. 413.) alienum est neque illud (cf. ea exempla, quae contuli ad Poen. v. 922.). Deinde, quamquam rara esse concedo, tamen non desunt exempla sc. e versibus bacchiacis sumpta velut

Poen. 233: ‚*mirór équidem, sóror, te istaec sic fábulári*‘

ubi ‚*sórōr*‘ eodem modo tractandum est ac ‚*sópōr*‘ in cretico metro Cas. 168. (cf. Most. 704.).

Subiungo propter similitudinem quandam Most. v. 794., sicut in AP traditus est:

‚*Age dúc mé. — Num móror? — Súbsequór té.*‘

quem versum debilem esse Leo statuit neque demonstravit. Immo vero in mensura ipsa ‚*mórōr*‘ iam non haeremus; trimetri autem bacchiaci tetrametris immixti apud Plautum saepius inveniuntur velut Men. 573. Most. 89; 94. Poen. 245; 246 (?); 260:

‚*lingua huíc éxcidit út ego opinór*‘

atque ii praesertim, ubi pausa quaedam actionis fit aut totum systema absolvitur, quorum illud etiam in hunc Mostellariae versum convenit: nam Theopropides Tranioque iam pergunt adire ad aedes Simonis et reliqua in itinere inter se colloquuntur. Non minus mihi videtur dignus qui attendatur eiusdem Poenuli v. 223:

‚*eaé nós lavándo, éluéndo óperam déderúnt*‘

ubi paenultima correpta est, quae correptio etiam latius patet velut in senariis iambicis Pers. 160 (‚*locáverúnt*‘); Ter. Eun. prol. 20 (‚*émerúnt*‘), in septenariis trochaicis Most. 281 (‚*méruerúnt*‘); Truc. 468 (‚*occéperúnt*‘), in octonariis iambicis Amph. 184 (‚*fécerúnt*‘); Bacch. 928 (‚*subégerúnt*‘), quin etiam in dactylicis versibus nonnumquam occurrit

velut Verg. ecl. 4,61 (‚*tulerúnt*‘). Ambigua mensura est Men. v. 575.*).

His exemplis mensura ‚*quas ádhuc té*‘ satis defendi videtur; sed ne altera quidem mensura (‚*quas adhúc té*‘) exemplis caret, etsi satis certa exempla exstant tantummodo correptae syllabae positione longae velut

Men. 573: ‚*optumi, máxumé mórem habént húnc*‘ vel

Poen. 224: ‚*aggerúndáque aquá súnt viri duó defessi*‘

— nam ‚*aggerunda*‘ utique servandum est (cf. Cas. 124.), minime cum Spengelio reponendum ‚*gerunda*‘, quae verbi forma quo consilio ab illo reposita sit nos non fugit: neque enim quicquam antiquius habuit quam ut illum versum, qui confragosus ei videbatur, politiorem redderet sententiae sane, sicut fit, ratione parum habita — fortasse etiam Poen. 260:

‚*lingua huíc éxcidit út ego opinór*‘ — fortasse dico, quoniam et ‚*lingua*‘ et ‚*huic*‘ per synizesin legi possunt, praeterquam quod haec duo verba inter se per synaloephen contrahuntur.

Haec iam sufficiant ad redarguenda ea, quae huic mensurae viri docti fortasse obloqui possint. —

Interrogabit quispiam, cur ex his locis, quippe quos corruptos esse mihi persuaserim, aliquid certi concludere omittam. At quoniam ne nunc quidem, quamvis copiose et ad probandum, credo, accommodate de his versibus disputaverim, cum aliis tum Lindsaio, ut opinor, res certo explorata esse videatur, certas coniecturas ut ex iis capiam a fide mea impetrare non possum.

---

*) Quae cum ita sint, retinenda videtur Cas. v. 828. forma in A tradita:

‚*id quaérúnt, id vólunt, haéc ut infécta réddánt*‘

quippe quae, si quidem orationis formam spectamus, aliquanto melior sit illa Palatinorum lectione, quam metrica ratione concinnatam esse non temere iudicemus.

Caput IV.

Idem hoc pertinet ad illos locos haud dubie corruptos, quibus tamen quae medela sit adhibenda sane ambiguum est. His de locis quae explicare studui, ex iis si nihil aliud, at certe hoc intelleges, quantis cancellis hodie quoque scientia nostra circumscripta sit. Etenim quamvis fidenter complures viri docti coniecturis verum consecuti esse sibi videantur, tamen ut omnes dubitationes removerent mea quidem sententia saepius iis non contigit. Sed ne quis exspectet meis me coniecturis lectionem Plautinam codicum scripturis obtectam expediturum esse, huic tanto muneri adeo non par mihi videor, ut satis habeam pluribus locis, quas medelas docti adhibuerunt, eas quantum possum infirmare ac diluere, quod si mihi contigerit, non nihil certe me profecisse existimabo. Ceteroquin mihi videtur profitenda esse ratio nesciendi.

Cas. 72. *‚et hic in nostra terra in Apulia‘* AP.

Versum mancum ac debilem esse vel primo aspectu apparet. Sed quamvis insignis sit hic ambarum recensionum consensus, tamen, ut opinor, cavendum nobis est, ne nimium momenti ei tribuamus aut ob eam rem sic ratiocinemur ut dicamus fieri non posse, quin AP ex eodem fonte manaverint, quo in fonte ipsam hanc scripturam corruptam exstitisse certum sit, sicut Leo iudicavit (Pl. F. p. 10.). Forsitan enim recte coniecerit Seyffertus scripsisse Plautum *‚in nostra terra, terra in Apula‘*, quod si est verum, et excidisse *‚terra‘* et mutatum esse *‚Apula‘* facile est perspectu. Sed quoquo modo res se habet, de producta verbi *‚Apulia‘* syllaba secunda, quam mensuram statuit Lindsaius, non sine causa dubito (cf. v. 77.).

Cas. 126. *‚post autem ruri nisi tu acervom ederis‘* AP.

Hanc codicum scripturam veram genuinamque esse quod iudicat Lindsaius, in errore versari mihi videtur. Quid enim sibi vult *‚acervom‘* ipsum per se positum? Immo *‚ervum‘* (vel *‚ervi‘* sc. collective dictum cf. Most. 62; 68.) alicubi latere iam vetustissimi editores agnoverunt: sed ubi tandem reponendum sit in diversas partes disputatur. Leo quidem quod offendit in verbo *‚ruri‘* et corruptum esse ex *‚ervi‘* sane fidenter statuit (cf. ea quae adnotavit), mihi non persuasit. Immo minime suspectum mihi videtur illud *‚ruri‘* et apte repeti in v. 129., quoniam sententia coepta non accurate usque ad finem perducitur. Haud inepte Seyffertus mihi videtur coniecisse *‚acerbum ervom‘*: nam *‚acerbum‘* haudquaquam cum detrimento sententiae additur velut Truc. 179. —

Cas. 183. *‚nec qua in plura sint (sunt* P*) mihi quae ego velim‘* AP.

Post *‚nec‘* videtur inserendum esse *‚est‘*, id quod iam Guietus agnovit. Qua ratione efficitur eadem orationis forma, quam recte et ad probandum accommodate restituisse mihi videtur Vahlenus in Men. v. 152:

‚clam uxorem ⟨est⟩ ubi‘ sqq.

et quae certissimis exemplis confirmari potest velut Mil. 82; 685 sq. Capt. 12; 327. Pseud. 1325. (cf. etiam Stich. 376. Truc. 208. Capt. 303. al.). Collocatio autem verborum *‚qua in‘* minime suspecta est; cf. cum alia tum haec:

‚me (vel *‚te‘*) *erga‘*] Asin. 20. Capt. 245; 416.
me advorsum] Amph. 936. Bacch. 127; 698. Poen. 400.
quem propter] Amph. 1016. Aulul. 786. Bacch. 1032. Rud. 496. Trin. 1164. Truc. 391.
quos inter] Merc. 752. *quem ad*] Bacch. 176.
quem penes] Amph. 653. Poen. 1188.

quo a] Asin. 119. Rud. 555 (recte A).
quo usque] Asin. 41. *qui pro*] Asin. 397.

Versus denique videtur esse senarius iambicus:

‚*nec ést qua in plúra sint mihi quae egó velim*‘

Lindsaium vero hunc versum, sicut in libris legitur, integrum reliquisse est quod miremur. —

Cas. 786. Hoc de versu quamquam multa possunt exponi, tamen, quoniam quid in initio versus exstiterit in A perquam incertum est, disputare nolo.

Eadem de causa licet mihi silentio praeterire hos locos: Men. 1132. Capt. 1009. Most. 851; 1010*). Mil. 60; 396; 808; 1161; 1395. Merc. 759. Stich. 688. Pseud. 681. (nam eae ipsae litterae, de quibus potissimum agitur, in A aut prorsus evanuerunt aut nimis incertae sunt aut maiore quodam defectu verborum res haud mediocriter obscurata est.) —

Cas. 806. ‚*quid si etiam si offendam hymenaeum si qui (ci)tius prodeant*‘ A.

‚*quid si etiam offendam hymenaeum*‘ cum lacuna P.

Leonis coniectura, qua corruptelae naturam patefecisse sibi videtur (‚*suffundam*‘ pro ‚*si offendam*‘), mihi quidem non probatur, quoniam exsistit hoc modo forma orationis nimis fucata. Accedit quod ‚*suffundere*‘ neque apud Plautum neque alibi usquam cum tali translatione usurpatum est (cf. Cist. 35. Curc. 160. Rud. 588.). Non mitto commemorare ex Catulli carminibus 61. aut 62. nihil certi colligi posse ad sanandum hunc locum Casinae haud dubie corruptum.

*) Quamquam, si modo A ipse quoque scriptum habuit ‚*triginta*‘ (pro ‚*quadraginta*‘ cf. v. 648; 1025.), id quod e spatio litterarum vulgo colligitur, hoc tam miro consensu scripturae satis certo indicetur ambas recensiones referendas esse ad unum eundemque fontem. At enim non liquet, ut aiunt.

Mil. 595. *ibo intro ne dum absum multae sortitae fiat* A.
ibo intro ne dum absum multi sortito fuã (i. e. ‚*fuam*‘ vel fortasse ‚*fuat*‘) P.

Hoc quidem apparet, in altero versus dimidio corruptelam inesse, quae corruptela a verbo ‚*multae*‘ ipso deperdito et cum metro discrepante profecta per codices percrebruit. Atque quemadmodum grassata sit corruptela, facile animo nobis informare possumus, si cum Leone ex tradita versus forma colligimus Plautum scripsisse

‚*ne . . . alter sorti defuat*‘

nam poetam, sicut in versu praecedenti res Romanorum proprias significavit, hoc versu easdem tetigisse haud improbabile est (cf. Pl. F. p. 9.). Initium autem corruptela videtur cepisse a littera ‚*m*‘ (in ‚*absum*‘) perperam duplicata*), quod ubi primum factum est, ceterae mutationes tamquam consectariae erant. At nihilo setius aqua haeret: nam quomodo grassata sit corruptela quamvis plane diserteque appareat e forma versus a Leone concinnata, tamen cavendum nobis est, ne asseveremus Plautum cogitandi ratione lapsum esse: denique stat per verba ‚*dum absum*‘ quominus illam coniecturam adscamus, quae verba si deessent, haudquaquam eam detrectaremus. Nunc vero inter sese videntur discrepare: exspectas enim, quoniam consulum sortientium alterum semet ipsum, alterum Palaestrionem esse Periplectomenus fingit, non ‚*dum absum*‘, verum ‚*cum absum*‘ vel in hac verborum constructione potius ‚*cum absim*‘, quod idem est atque ‚*eo quod absum*‘. Desiderant igitur verba ‚*alter sorti defuat*‘, si modo quid desiderant, non temporis definitionem, quae si adderetur, tautologia exsisteret

*) nempe idcirco, quod librarii animo obversatum est ‚*summa*‘ vel tale aliquid (scriptio continua!). Similis quidam lapsus invenitur Curc. 470: ‚*hominem mitto*‘ (pro ‚*hominem ito*‘).

et ea quidem haud ferenda, sed causae significationem. Quae cum ita sint, Leonis coniecturam quamvis acutam, utpote quae nimis multas verborum mutationes ferat quaeque flagitet, ut temptetur illud ‚*dum absum*', quod minime videtur esse temptandum, amplecti ego quidem sane dubito. At enim quid tandem Plautus scripserit nescire nos liquido profiteamur. —

Poen. 1168. *Th(rac)ae sunt (in cel)onem sustolli solent* A
Thraecae sunt caelum ne sustolli soleni BCD —

‚*Graecae sunt hae columnae, sustolli solent*'

commendat Turnebus vetusto quodam libro nixus itemque Lambinus, ut ait ipse, ‚nostrorum librorum veterum scripturam aliquantum depravatam secutus, in quorum uno scriptum est: *Traecae sunt columnae* sqq.' —

Rem imprimis ambiguam certo explorasse sibi videtur Leo (Woelffl. arch. 9, 162 sq.), cum versum legi vult sic:

‚*tragicae sunt: in calones sustolli solent*'.

Haec coniectura Leonis acutissima*) sine dubio digna est, quam nobiscum consideremus, et profecto summo studio eam amplecteremur, nisi una restaret dubitatio. Nam ut praetermittam insignem quandam probabilitatem scripturae, ipsa per se aptissima, ut opinor, sententia non indiget. Sed tamen haereo in voce ‚*tragicae*', quam vocem convertere aut interpretari Leo necesse non putavit. Atqui accipiendum esse hoc verbum

*) Erravit Leo, cum Milphioni hoc dictum tribuit. Etenim Milphio in scaena iam non adest: immo domum introiisse eum post v. 1154. Leo ipse in editione sua significavit atque adeo haec verba de quibus agimus recte attribuit Agorastocli. Quae cum ita sint, apparet de scurrilitate causae, quam Leo usurpavit, ut est Agorastocles homo liberalis atque ingenuus, aliquantum deminui.

in eandem sententiam, in quam accipitur ‚*tragoedi*' (cf. Poen. 581.), ex ipso rerum tenore intellegitur et posse ita accipi comprobatur Persae v. 465 sq.:

‚*tragici et comici numquam aeque sunt meditati*'.

Sunt igitur intellegendae tragicae Schauspielerinnen der Tragödie. At suntne omnino tragicae? Immo vero satis constat omnes personas seu masculas seu femineas in scaena antiqua numquam nisi a maribus actas esse usque ad Caesarum tempora. Quid igitur sibi vult ‚*tragicae*' aut quid loci habet? An translationem verbi nescioquam aut generis accommodationem huic loco adhibendam esse censet Leo? Nihil omnino significavit. Iam vero si reponeremus ‚*tragici*', prorsus ineptum et a sententiarum tenore alienum hoc fore quis est qui non videat? — Haec est sola offensio eademque tam gravis, ut superare eam non possim. Prorsus aliter rem se habere, si ‚*Thraecae*' veram lectionem esse statuimus, utique consentaneum est. Sed quae vis ac sententia insit in hoc de Thraecis dicto et quam in formam hoc dictum sit redigendum, tam obscurum est, ut non possimus non profiteri nos nescire, id quod minime, ut opinor, nos dedecet. Nam etiam nunc scientia nostra quibusdam cancellis circumscripta est, quos aliquando fortasse removeri posse saltem speramus. Lindsaius vero, cum codicis rescripti lectionem a Studemundo sane dubitanter suppletam pro explorata habet (p. 116.), ipse quoque mihi videtur a vero aberrare. Neque enim reddit nobis rationem, quid sibi velit illud ‚*in celonem*'. —

Mil. 1399. *ut faciam quasi puero in collo pendeant crepundia*
(P — initium versus etiam A)

Versus sicut in libris legitur vereor ne sanus non sit. Leo quidem lenissima coniectura extricavit haec:

‚*ut ea iam quasi puero in collo pendeant crepundia*'

neque tamen dixit, quid intellegi vellet ‚*ea*' neque egomet quid hoc sibi velit animo mihi informare possum: nam ‚*ea*' haudquaquam idem est atque ‚*istaec*' (ταυτί vel ταδί: sc. cum vi demonstrativa dictum) et plane requirit quo respiciat. Profecto minime ad persuadendum accommodata mihi videtur illa coniectura Leonis, quippe quae litteris ipsis artius teneatur quam sententia: quam viam ubi iniimus, facile a vero aberramus. Immo si quis attentius rem secum consideraverit, is facere non poterit, quin aut cum Seyfferto pro ‚*ut*' reponat ‚*vin*' (i. e. ‚*visne*') aut cum Ritschelio, quod mihi ipsi in mentem venit, cum saepius fabulam legi, et quod etiam nunc mihi probabilius videtur, quia Periplectomenus non respondet ad haec, quae Carionem ex eo quaerentem fingit Seyffertus, verum senis verba:

‚*haud etiam: numero hoc dicis*'

ironice facta spectant ad militis exclamationem ‚*perii*', transpositione usus versum sic legat:

‚*faciam uti* (vel ‚*ut ei*') *quasi puero in collo pendeant crepundia*'.

Sed etiam alia possunt excogitari et fortasse meliora. —

Capt. 912. *quasi lupus esuri(ens) timui (ne in) me faceret impetum* A (eadem praeter ‚*metui*' P)

‚*metūi*' mensuram adhibendam esse censet Lindsaius, parum apte ad probandum. Neque adeo Niemeyerus recte mihi videtur coniecisse ‚*metui timui*' neque Lindsaius ‚*mi timui*', quo modo vereor ne nimis fucata fiat orationis forma. Aliquanto aptius, ut opinor, Schoellius excogitavit

‚*metui ne* ⟨*vel*⟩ *in me faceret impetum*'

Mihi quidem videtur desiderari ‚*ille*', quod inseruit Leo, vel tale aliquid. Fortasse autem non inepte cum parataxi apud Plautum usitatissima atque adeo ad hanc rerum condicionem sane bene accommodata scribitur sic:

‚*quasi lúpus esúriens* ⟨*saévit*⟩: *métui ne in me fáceret impetúm*'.

Utrum ‚*metui*' an ‚*timui*' sit praeferendum potest in utramque partem disputari. —

Most. 984. ‚*Tranio: is vel Herculi conterere quaestum potest*' AP.

Versus sicut in libris legitur stare non potest; sed quomodo sanandus sit sane ambigitur. Proposuerunt ‚*possiet*' Camerarius, ‚*pote siet*' Ellisius, ‚*suom*' post ‚*quaestum*' addidit Schoellius. Forsitan non inepte Lindsaius cogitaverit de reponenda forma prisca ‚*quaesitum*' (p. 118.), quae quodam modo fulciri videatur Cas. v. 530. (‚*in quaesitione*'), quamquam ipse vicissim de ea re dubitat (cf. enim quae ad locum adnotavit). —

Pseud. 351. ‚*quid ais, quantum terra tetigit* (*tegit* P) *hominum periurissume*' AP.

Maxime dubia est codicum scriptura: nam ut ‚*tēgit*' sane suspectum est, sic ‚*tetigit*' cum nominativo ‚*terra*' vix potest coniungi. Quam ob rem ‚*terram*' reposuit Geppertus, quae orationis forma fortasse tolerari potest. Optime ad sententiam, ut opinor, Palmerus coniecit ‚*terra tetulit*' (i. e. hervorgebracht hat). Sed nihilo minus hic Pseudoli versus tamquam area coniecturarum est, in qua alios fortasse meliore cum fructu operam et ingenium suum experturos esse puto. —

Rud. 537. ‚*iure optumo me lavisse arbitror*' AP.

Hoc quidem apparet, versum, sicut in libris legitur, mancum ac debilem esse: sed quomodo sanandus sit alii aliter et iudicant et iudicabunt. Ac primum quidem

Fleckeisenum secutus pro certo habeam esse reponendum *‚elavisse‘*: nam refert non illud, Charmidem *‚lavisse‘*, quod verbum quid sibi velit et ipsum per se notum est et intellegitur ex Rud. v. 411. Amph. 802. Bacch. 105. Poen. 702. Stich. 533; 568 sq. 668. Truc. 198; 322 sqq. 328; 330. aliisque locis, sed hoc nimirum refert, probe eum Neptuni opera elautum esse, sicut Rud. 699. Palaestra et Ampelisca Venerem implorantes *‚elautae‘* inquiunt *‚ambae sumus opera Neptuni noctu‘* — nam *‚elautae‘* scribendum est, tametsi quid in A exaratum sit incertissimum est et in P initium versus videtur fuisse mutilum. — Quod autem inest in verbo *‚elavari‘*, idem inesse in forma verbi activa *‚elavare‘* agnoscitur ex Rud. v. 579; 1307 (ubi corruptae librorum scripturae origo facile repetitur a scriptione maiuscula: *‚elavi‘*); Asin. 135. Quorsum igitur haec disputo? Quippe quia Lindsaius rem parum exploratam esse censet.

Quam rem quoniam satis magnis argumentis confirmavimus, aggrediamur ad difficultates maiores. Ac primum quidem quod quaerimus, cui personae haec verba impertienda sint, ego Leonem secutus v. 537. non eidem personae, cuius sunt verba praecedentia, sed alteri (i. e. Charmidi) attribuendum esse statuo. Hinc mihi videtur consequi, ut saltem initium versus integrum atque intactum sit neque desideretur particula copulativa vel adversativa. Ceteroquin sententiae mihi videtur requiri nihil, nisi quod versus duplici hiatu laborat, si modo integer relinquitur, quorum hiatuum alter *(‚me | elavisse‘)* nullo negotio removeri possit reposita forma *‚med‘*. Alterum autem hiatum *(‚elavisse | arbitror‘)*, quem Leo non dubitavit adsciscere, vereor ne non sit legitimus. Neque enim aut in caesuram iustam aut in diaeresin cadit hic hiatus neque potest cogitari de vocali ipsa per se longa ante vocalem correpta, qua ratione hiatus fiat legitimus. Immo ad infinitivum perfecti videtur idem

pertinere quod pertinet ad infinitivum praesentis in *‚-ere‘* vel *‚-are‘* desinentem: nam quod syllaba ultima, etiamsi una consonans subsequitur, identidem producta apparet — velut *‚promere‘*: Mil. 848. Pseud. 355.*) *‚fingere‘*: Asin. 250. *‚vivere‘*: Rud. 209; 244. *‚dicere‘*: Merc. 934. Mil. 1316. (utroque loco ante ipsam personae notam). Cas. 674 (recte Leo versum constituit cum A). *‚dare‘*: Trin. 585 (ante ipsam personae notam). Truc. 425. *‚abducere‘*: Most. 696. (verisimillime) — ex ea re non consequens est ut iudicemus eam longam esse natura. Quae cum ita sint, relinquitur ut aut cum Seyfferto *‚dentes crepitantes syllabas explevisse‘* statuamus *(‚ela-la-lavisse‘)*, velut Most. 319; 325; 331. homo temulentus voce balbutiens probe depingitur, quod si ita sit, plane diserteque in libris significaretur necesse non fuisse haud scio an ponamus, aut aliquid excidisse suspicemur et id quidem potius in fine quam initio versus. Dubitanter cauteque ut in re incerta conicio genuinam formam versus fuisse hanc:

‚iure optumo me elavisse arbitror, Labrax‘ **)

sc. excidisse vocativum ante ipsam eiusdem personae notam (cf. ea quae exposui ad Pseud. v. 954.)? An versus videtur explendus esse ad exemplum Asin. v. 135. ita, ut in fine *‚bonis‘* omissum esse aut aliquo defectu periisse statuamus? Profecto cum nihil certi expediri possit, profitenda est ratio nesciendi neque adhibendus videtur esse hic locus ad disceptandam controversiam ipsam. —

*) Lindsaius quod in hoc versu scribi voluit *.promere potis sum* sc. *‚prómerĕ‘* suspectum esse ratus, nihil egit. Immo vero exempla illa, quae supra attuli, utique sufficiunt ad redarguendam hanc suspicionem. Neque adeo ipse sibi constat, quoniam Mil. 848. eandem hanc mensuram plane comprobat (nam ictum posuit in illa syllaba).

**) In forma metrica huius versus etsi sint qui haereant, ego non offendo.

Stich. 354. *‚Age tu ocius pinge humum consperge ante aedis‘* sqq. AP.

‚pinge‘ sine dubio falsum est. Quamquam multa excogitari possunt velut *‚propere‘* (*‚ocius propere‘* cf. Cist. 639. Rud. 1323. Stich. 337. Trin. 1008. Cas. 744.), tamen quomodo natum sit illud *‚pinge‘*, sic minime declaratur. Quam ob rem aliquid reconditius in codicum scriptura latere suspicor velut *‚tinge‘*, quod sane dubitanter conicio*). —

Subiungo versum non minus ambiguum:

Pseud. 184. *‚eo vos vestros panticesque adeo madefecistis, quum ego si mihic siccus‘* A

‚eo vos vestros panticesque adeo madefacitis, cum ego sim hic siccus‘ P

‚eo vos vestrosque adeo panticis madefactatis, cum ego sim hic siccus‘ Nonius p. 394.

Haec lectio, quam Nonius testatur, pendet ex ea quaestione, qua quaerendum est, habueritne ille in promptu editionem quandam cum A vel P aliqua necessitudine coniunctam an prorsus ab iis diversam, quam controversiam Leo profectus ab Menaechmorum versibus 1037—1044. duobus locis duplicique forma traditis diiudicasse sibi videtur ita, ut statuerit fuisse editionem illam quidem ab ipsis recensionum A et P archetypis differentem, sed ab eodem fonte repetendam (Pl. F. p. 15 sq.). Verum relinquenda est haec quaestio. — Iam si nobiscum contemplamur recensionum A et P scripturas, vel primo aspectu elucet quaedam differentia temporum, cum *‚madefecistis‘* A, *‚madefacitis‘* P exhibeat. Sed eidem huic temporum differentiae, quippe quae iden-

*) Quod si ita est, *‚humum‘* tamquam *ἀπὸ κοινοῦ* positum sit inter *‚tinge‘* et *‚consperge‘*, qua in re Leo offendit, ego non haereo; *‚pinse‘* (cf. Linds. ed.) minus aptum est.

tidem in libris occurrat*), magnum momentum non est tribuendum. Ceteroquin AP plane inter se congruunt, id quod admodum mirum est: nam de retinenda illa versus forma, quam AP nobis suppeditant, sicut Lindsaius in editione sua rem gessit, nullo modo potest cogitari. Egomet sic ratiocinor, ut statuam primum *‚adeo‘*, quoniam videtur esse verum et genuinum, neutiquam esse temptandum aut e textu removendum et omnia eiusmodi temptamina velut illud, quod Leo in editione protulit, utique reicienda. Sequitur ut suffixum *‚-que‘* retinendum sit: nam verbo *‚adeo‘* hunc in modum usurpato**) flagitantur duo membra per particulam copulativam inter se coniuncta, quorum membrorum in posteriore plerumque insit aliquid gradationis. Quae cum ita sint, non inepte Seyffertus mihi videtur excogitasse *‚vostrum os panticesque adeo‘*, quae scriptura, si quidem librarium dictata sine ulla ratione aut cogitatione conscripsisse ponamus, haud improbabilis esse videatur, nisi haereamus in numero singulari cum *‚pantices‘* discrepante. Ac ne Baieri quidem coniectura *‚vostros panticesque adeo‘* aliqua probabilitate caret, nisi quod haec numeri pluralis forma, quam ille concinnavit, nullo exemplo, quantum scimus, potest confirmari. At tamen fuisse hanc formam pluralis insolentem sane potest cogitari, quoniam *‚vostra‘* quid intellegendum esset illis

*) cf. Cas. 55: *adlegat* A — *allegavit* P
- 62: *ablegat* A — *ablegavit* P
Poen. 640: *adportastis* A — *adportatis* P
- 1271: *contingit* A — *contigit* P (recte)
Pers. 313: *tangit* A — *tetigit* P

**) Posse autem verbo *‚adeo‘* tribui vim temporalem ita, ut *‚cum‘* sqq. (exspectas, ut opinor, potius *‚dum‘*) inde pendeat, pro sententiarum tenore vix est probabile. Immo inest in *‚cum‘* vis adversativa, quod ita esse apparet etiam oppositis pronominibus *‚vos . . . . . ego‘*. Eadem de causa improbo illam Nonii scripturam, quippe qua potius obscuretur hoc quam servetur.

temporibus nemo ignoravit. An putamus scripsisse Plautum ‚*ventres panticesque adeo*' et interpolato vocabulo ‚*vestros*' lectionem genuinam e textu eiectam esse, qua tamen scriptura de gradatione sententiae aliquid deminui nos non fallit? Nihil certi usquam apparet. — Dicet quispiam hac tanta ratiocinatione nihil admodum profectum esse, quippe cum quid tandem Plautus scripserit nihilo magis exploratum sit. At quibusdam locis, quoniam emendatio certa nec antehac reperta est nec nunc posse reperiri videtur, vel hoc permultum interest demonstrari, quae via emendationis sit ineunda, ut caveantur falsa conamina emendandi, et si nihil aliud, at certe hoc mihi videor effecisse. —

Men. 592 sq. Postremo loco agam de quibusdam versibus Menaechmorum praecipue controversis. Sunt v. 592 sq. in AP sic traditi:

‚*aut plus aut minus quam opus fuerat dicto (erat multo* P*) dixeram controversiam ut sponsio fieret: quid ille qui praedem dedit*'.

Hoc de loco viri docti disputarunt in partes diversissimas, et hoc quidem profecto verum est, aliquam corruptelam aut fortasse plures in his versibus latere. Neque enim possunt secum copulari verba contigua ‚*dixeram controversiam*' cum propter ipsorum naturam*) tum propter ea quae praecedunt. Erravit igitur Lindsaius, cum in editione omnia integra reliquit neque alicubi corruptelam delitescere significavit. Ecce autem exstitit is, qui ‚*controversiam*' esse interpolatum statueret, Theodorus Bergkius (op. 1,152 sq.), cui adstipulari videtur Leo. At tamen ita rem se habere mihi quidem ille minime probavit. Immo vero imprimis verum atque

*) Prorsus alius generis sunt ‚*dicere contumeliam*' (Curc. 478. Truc. 299.) aliaque.

genuinum videtur illud ‚*controversiam*', quod cum ipsum per se sententiae non satis faciat, id tantum quaeritur, quid sit supplendum. Itaque censeo scribendum esse sic:

‚*aút plus aút minús quám opus fúerát*
dícto dixeram ⟨in⟩ cóntrovérsiam, út
sponsio fieret'*).

Vides quam simplicem viam emendandi ingressus sim. Sed quod attinet ad sententiam**), ‚*in controversiam*' mihi videtur habere vim finalem et dictum esse pro ‚*ut res controversa esset* (vel *videretur*)' sc. damit die Sache noch der Erörterung des für und wider bedürftig wäre (oder erschiene), unde prorsus consequens erat, ut res ad disceptandum differretur in posterum et ‚*sponsio fieret*'. Id autem ut impetraret Menaechmus dedita opera egerat et quidquid dicendo poterat molitus erat sc. clientis sui gratia, quem tamquam manifesto teneri ex iis, quae pro testimonio dicta erant, intellexerat. Hoc etsi satis perspicuum esse duco, tamen fortasse expedit compluribus exemplis ostendere hunc usum loquendi (sc. ‚*in*' cum accusativo positum pro sententia finali vel consecutiva) non apud Plautum modo, sed apud alios etiam scriptores longe lateque patere. Huc cadunt, ut initium capiam ab exemplis simplicioribus, cum multa tum haec:

Trin. 690 sq.: *in concubinatum — in matrimonium dare.*
Poen. 102: *in concubinatum emere*
Epid. 278: *in libertatem emere*
\- 654: *in libertatem conciliare*
Capt. 576: *in libertatem reconciliare*

*) De mensura ‚*fŭerat*' cf. Poen. 110. Capt. 555. Mil. 776; 1364. Merc. 91. Pseud. 1278. Rud. 217; 1105; 1389.

**) De metro universo, quod duce Schoellio statui, dubitat Vahlenus.

Capt. 931: *in libertatem reducem facere* cf. etiam illa ‚*in libertatem vindicare* vel *asserere*‘.
Poen. 904: *in divitias adoptare*
Cist. 601: *in divitias maxumas despondere*
Trin. 1133: *in fortem familiam despondere*
- 159: *in dignam condicionem collocare*
Cas. 481: *ad se in nuptias vocare* (pro ‚*ut nuptiis intersit*‘)
Most. 122: *extollunt, parant sedulo in firmitatem* (pro ‚*ut firmi sint*‘)
Merc. 233: *in custodelam simiae concredere* (pro ‚*ut custodiretur*‘)
Truc. 740: *minam unam alicui deferre in opsonatum*)* (pro ‚*ut opsonaretur*‘ vel ‚*ut opsonium pararetur*‘)

Iam paulo difficiliora mihi videntur haec:

Capt. 763: *quasi in orbitatem liberos produxerim* (sc. ‚*ut ipse orbus essem*‘)
Curc. 355: *provocat me in aleam* (pro ‚*ut alea ludam*‘, id quod excipitur verbis sequentibus).
Trin. 722: *ad aliquem regem in saginam erus sese coniciet meus* (pro ‚*ut sagina teneatur*‘: in die Mast)
- 726: *cassidem sumere in caput* (sc. ‚*ut capiti induam*‘)
Epid. 640: *anellum afferre in digitum ad aliquem.*
Cas. 708 sq: *anulum alicui dare in digitum* (nam sic est scribendum contra librorum fidem)
Poen. 1012: *mures Africanos praedicat in pompam ludis dare se velle aedilibus* (sc. ‚*ut in pompa ducantur*‘)
Truc. 476: *date mi huc stactam atque ignem in aram* (sc. ‚*ut in ara ponatur*‘)

*) Iniuria mutatum a Leone: nam substantivum ‚*opsonatus*‘ minime suspectum est; cf. Men. 288. Cas. 719.

Truc. 35: *quasi in piscinam rete qui iaculum parat* (sc. ‚*ut in piscinam demittat* vel *demergat*‘)

Audacius autem nullum hoc Catulliano (c. 64, 350):

cum in cinerem canos solvent a vertice crines
(sc. ‚*ut cinere conspergant*‘)

Atque etiam apud Tacitum hoc genus loquendi latissime patet, siquidem digna quae attendantur cum alia exempla sunt tum haec ex Annalibus sumpta:

Ann. I 22: *gladiatores, quos in exitium militum habet atque armat.*
I 57: *neque victa in lacrimas neque voce supplex* (sc. ‚*victa adeo ut lacrimaret*‘)
II 6: *naves velis habiles, citae remis augebantur alacritate militum in speciem ac terrorem* (i. e. ‚*ut cum terrore conspicerentur*‘ vel ‚*ut aspectu terrorem* sc. *hostibus incuterent*‘)
II 18: *repertis inter spolia eorum catenis, quas in Romanos portaverant* (sc. ‚*ut Romanis induerent* vel *inicerent*‘)
III 14: *ministros in tormenta flagitabat* (i. e. ‚*ut torquerentur*‘)

Possunt multa exempla afferri eademque ad probandum fortasse etiam aptiora: sed quae supra congessi, ea haud dubie satis idonea sunt, quibus ille linguae usus illustretur.

Sed si quis arguat illud ‚*in controversiam*‘ in finalem partem accipi non posse, quoniam subsequatur ‚*ut sponsio fieret*‘ sc. ipsa quoque sententia finalis, eum delego imprimis ad illum Truc. v. 476:

‚*date mi huc stactam atque ignem in aram, ut venerem Lucinam meam*‘.

Iam vero ultima verba

‚*quid ille qui praedem dedit*‘

quae et ipsa a Lindsaio integra relicta esse miror, quemadmodum temptanda sint sane incertum est, nisi quod pro ‚*qui*' cum Camerario reponendum est ‚*quid*'. —

Quae quoniam exposui, licet mihi praefari, quo modo in commentationis partibus iis, quae restant, rem gesserim. Nam in capite V. explicare studui, quae corruptelae, quoniam mero casu in utraque recensione nasci potuerunt — quippe quae si non omnes, at certe permultae videantur repetendae esse a certis quibusdam codicum proprietatibus — pro nihilo fere putandae essent. In capite VI. disputavi de versibus nonnullis, qui cum graviore defectu mulcati sint, de meris librariorum mendis utrobique commissis vix potest cogitari. In capite VII. disserui de interpretamentis et quid inde colligendum esse mihi videretur ad hance controversiam ostendi. Denique in capite VIII. illustravi illas corruptelas, quae ita sunt comparatae, ut necesse sit iudicemus ambas recensiones referendas esse ad unum eundemque fontem.

Conspectus versuum,

de quibus plenius disputatum est:

Bacch.	498. . . .	p. 38.
Capt.	912. . . .	62 sq.
-	925 sqq. . .	49 sqq.
Cas.	49. . . .	46 sq.
-	72. . . .	56.
-	126. . . .	57.
-	157 sqq. . .	15 sq.
-	183. . . .	57 sq.
[-	786.] . . .	58.
-	806. . . .	58.
-	821. . . .	17.
-	975. . . .	17 sqq.
Epid.	455. . . .	38.
Men.	201. . . .	31 sq.
-	212. . . .	21.
-	592 sq. . . .	68 sqq.
-	1156. . . .	21 sq.
Merc.	761. . . .	26 sq.
Mil.	488. . . .	48.
-	497. . . .	43 sq.
-	595. . . .	59 sq.
-	1399. . . .	61 sq.
-	1419. . . .	14 sq.
Most.	794. . . .	22.
-	854. . . .	45.
-	961. . . .	45.
-	984. . . .	63.
-	1043. . . .	33.
Pers.	1 sq. . . .	p. 45.
-	265. . . .	35 sqq.
-	319. . . .	44.
-	353. . . .	23 sq.
-	418. . . .	42 sq.
Poen.	922. . . .	27 sq.
-	928. . . .	28 sq.
-	1168. . . .	60 sq.
-	1188 sqq. . .	29 sq.
Pseud.	184. . . .	66 sqq.
-	351. . . .	63.
Rud.	521. . . .	41.
-	537. . . .	63 sqq.
-	763. . . .	33 sq.
Stich.	44. . . .	48 sq.
-	175. . . .	49.
-	243. . . .	30 sq.
-	248. . . .	47 sq.
-	306. . . .	34 sq.
-	354. . . .	66.
-	620. . . .	10.
-	695. . . .	10 sqq.
Trin.	186. . . .	39 sq.
-	213. . . .	40.
-	413. . . .	23.
-	492. . . .	25.
Truc.	232. . . .	26.
-	374. . . .	40 sq.

VITA.

Guilelmus Iulius Ernestus Eugenius Sicker natus sum Non. Sext. anni MDCCCLXXXII. Berolini patre Ernesto, matre Emma e gente Lausse, quos parentes adhuc superstites summa qua decet pietate colo. Fide initiatus sum evangelica. Inde a septimo aetatis anno postquam communis humanitatis elementis imbutus sum, Sophiae gymnasium tum praestantissimorum praeceptorum corona — honoris causa nomino Oscarum Seyffert — ornatum frequentavi meoque anno maturitatis testimonium adeptus ineunte anni MDCCCCI. aestate civibus universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis adscriptus sum et per biennium antiquitatis Graecae Romanaeque et historiae studiis me dedidi; deinde Heidelbergam me contuli ad persequenda studia, quae Berolinum reversus inde ab ineunte anni MDCCCCIII. semenstri hiberno usque ad hoc tempus continuavi admixtis modice studiis Germanicis atque philosophicis. Examen philosophiae sustinui a. d. x. Kal. Sext. h. a.

Docuerunt me Berolini scholis viri clarissimi Diels, Helm, Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff; Hirschfeld, E. Meyer, P. M. Meyer, Sternfeld; Kekule de Stradonitz; Dessoir, Lasson, Paulsen, Stumpf; Geiger, E. Schmidt; Harnack: Heidelbergae Schoell, Uhlig; Gruetzmacher. Proseminarii philologi Berolinensis sodalis fui per quater senos menses exercitationibusque interfui, quas moderabantur Diels, Heinze, Helm, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff. Deinde seminarii philologi sodalis adscitus totidem per menses Kirchhoffi et Vahleni doctrina fructus sum. Philosophiae exercitationibus ut interessem benigne concessit Paulsen, paedagogiae Muench. His viris omnibus praecipueque Vahleno, ut qui praeter ceteros quid esset philologiam tractare animo meo informaverit idemque auctor mihi fuerit huius commentationis scribendae, et Seyfferto, quem omnino ut Plauto inquirendo operam navarem me adduxisse atque etiam, ut erat vir de studiis Plautinis optime meritus, mea ipsius studia consilio et opera saepius iuvisse cum praedico, gratum piumque praesto officium, quantum debeam numquam obliviscar et hoc loco gratias ago candidissimas.

Scr. Berolini a. d. IV. Non. Sext. MDCCCCVI.